


HIEREMIAE THRIVERI BRACHELII COMMENTARII IN HIPPOCRATEM DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS.





LVGDVNI,
Apud Hæredes Iacobi Iuntæ,
M. D. LII.





CLARISSIMO ATQVE ORNATISSIMO VIRO, domino Lucæ Mueningo apud Gandenses sancti Bauonis Præposito, suo Mecœnati, Hieremias Thriuerus Brachelius S.



VOD nos annua nuper pensione ultro donaris, ornatißime domine, atque liberalißime Mecœnas, non fuit in causa, meum erga te meritū, sed prompta tua erga omnes humanitas, magna quædam erga literatos munificentia. Neque enim ego antea de te quicquam meritus sum, sed nec quicquam postea mereri possum. scilicet nūquā ægrotanti affui, nec si casus urgeret (quem deus auertat) auxilium debes quærere Louanij. quid enim Gandaui desideres? Regum ciuitas est, sedes Imperatoribus digna, urbs totius Europæ clarißima, maxima, cui hostes maledicere possunt, malefacere nequeunt: sic enim latè ex natura munita est, ut ne obsidere quidem eam liceat. adeo nusquā alibi quàm istic, hoc est, in inuictißima ciuitate, Inuictißimum Imperatorem, Carolum Quintū, nasci decuerit. Certe mihi gratulor, quòd in propinquo uobis agro nasci contigerit. habet enim Gandauū omnia eximia, Senatum grauißimum, nec fascibus Romanorum dißimilem: consilium totius Flādriæ, cui uix inuenies secundū: ciues optimos uiros in omni genere literarum eruditißimos: Medicos quidem, non ita multos, sed meo quidem

dem iudicio eruditißimos, inter quos nemo familiarius tuam naturam poterit conseruare, ac instantes morborum fortunas depellere, quàm dominus Ioannes Sandrius, & tuus & totius ciuitatis medicus, uir multi ingenij, uariæ lectionis, maximi iudicij, & qui iam longo tempore temperaturam corporis tui nouit, à qua maximè tibi morbi imminent. Scio quòd præterea morbi sequantur uitium aëris atq; errorem uictus. sed ijs duobus incommodis magnum opposuisti remedium, quando more Romanorum Imperatorum, honores, fasces, triumphos, comitia pertæsus, urbem reliquisti, & quasi priuatus homo in saluberrimum & iucundißimum agrum tuum Lonensem duobus miliaribus extra Gandauum, seceßisti. Nam ut strepitus urbanus maximum affert ad uirtutem impedimentum, ita aër agrestis ad sanitatem eximium compendium. At neque id temere aut præmaturè fecisti. Sed posteaquam tanquam bonus paterfamilias, familiam tuam legitimè ordinasti, ac Monachos sancti Bauonis transformasti in Canonicos, hoc est, ex priuato monasterio, publicum fecisti sacrarium, non quidem sine magnis sumptibus, sed legitimis causis. Quod quàm feliciter factũ sit, & quanta ciuitatis Gandẽsis maiestate, ex eo est cognoscere, quòd qui primò eam metamorphosim admirabantur, nunc uehemẽter probant atque amplexãtur omnes. quãquam ne hoc quidem nouum commentum, aut nuper tantum factum. Nam & in alijs diuersis locis antea sæpe idem à maximis uiris admissum: & plurima nunc collegia antea fuerunt monasteria. ne nunc dicam, quòd idem in hoc ipso loco (ut audiui) frequenter ab antecessoribus tuis tentatum sit, sed aut morte præuentis, aut aliter impeditis

tis hoc pensum quodam fato tibi relictum, nec sine maxima tua diligentia, prudentia, ac optimorum uirorum consilio perfectum. Sed nolo hic omnes animi tui dotes numerare aut recensere. Vnicus enim affectus quem erga literatos habes, facile reliquos declarat: inter quos quē ego locū habeo, lubenter aliorum iudicio relinquo. Verum ne frustra in me uidearis collocasse beneficium, nunc partem laborum meorum tibi offero, Commentarios in libros Hippocratis *de ratione uictus in morbis acutis. ex quibus, si qui ex medicis postea proficiant, nō minus tibi debebunt, quàm mihi, qui deinceps otium meum literarium alere ex parte decreuisti. nonnihil adhæc debebunt optimo atque generosissimo uiro equiti aurato, & domino à* Vuachene, Adolpho *à* Burgundia, *qui me tibi primum insinuauit. Cuius honesta & nobilis uxor, domina* Iacoba *Suastre, quibus modis apud nos conualuit, malo ex illo quàm ex me audias.*

Interim ornatissime Domine *atq; munificentissime* Mecœnas, *nobis atque omnibus studiosis diu bene uale.* Louanij *ultima* Iunij.

1551.

*

HIPPOCRATIS DE RATIONE VI-CTVS IN MORB. ACVTIS, LIBER I.



VI Gnidias appellatas ſententias conſcripſerũt, hi ſanè quæ ægri in morbis ſingulis patiuntur, & quónam modo nonnulla ipſorum eueniant, rectè ſcripſerunt. atque ea quoque quæ medicinæ imperitus quiſpiam rectè ſcribere potuiſſet, ſi ab ægro unoquoque qualia patitur, probè intellexiſſet. Verùm quæ medicum non refe rente ægro prædidiciſſe oportet, multa ex his ſunt prætermiſſa, alia in alijs.

QVATVOR ſunt, quæ in Gnidijs medicis repræhẽdit Hippocr. Quidam nimis perfunctoriè perſtringebãt morborum ſymptomata: utpote ea tantùm, quæ uel uulgò erant cognita: alij uerò nimis anxiè minima quæq; deſcribere conati ſunt. Vtrunq; uitium ijs, qui uel hodie ſcribũt, commune. Nam ut ſcrupuloſi, & malè docti homines, in magnis uitijs craſsi, in minimis ualde moroſi: ita ſophiſtæ rerum utilium admodum negligẽtes, incurij, in rebus uerò magnis ſupini. Sunt alij iuxta externam uerborum phantaſiam egregiè quidem ſpecioſi: ſed alibi omnino tenues, & macilẽti: ut qui nuſquam neceſſarios rerũ nodos explicant, tantùm generalia reſcribunt rerum axiomata. quod unuſquiſque facile pręſtabit, qui uel citra mediocritatem in ipſa arte fuerit uerſatus. Nam ego eum ſolum uirum arbitror, qui ab his abſtinet, & duntaxat ijs, quæ ob

ſcurè

ſcurè ſcripta ſunt, peruerſa aut penitus ignorata, incumbit præſertim ijs quæ ad artem pertinent, uel citra quæ hæc ipſa rectè intelligi nequeũt. Tertius error erat eorũ, qui in morbis lõgis nimis paucis utebãtur medicamentis: ſcilicet elaterio, ſero lactis, & ipſo lacte. Quartus erat in neglecto uictu. Et poterant hæc doctis, & ad rem medicã feſtinantibus ſufficere ſuper tota ea ſcriptura, quam excipit laus ptiſanæ. ſed propter ſcrupuloſos cõtenti ſumus ſingulas ſententias ſeorſum explicare.

ET quædam ad coniecturalem cognitionem peropportuna.

QVOMODO εἰκὸς differat à ſigno, dialectici diſtinguũt apud Ariſtotelem: neq; ad hũc locum attinet. Quod autem ſignorum uaria ſit natura, per ſe notum eſt. Appellatur autem nunc τεκμήριον nequaquam omne ſignum, ſed ſyllogiſticum. Et quidem alia quædam ſigna certa ſunt: neque unquam à ſuo ſignificato excidunt. Ita pleuritidem ſequũtur, difficultas anhelitus, dolor pũctilis, tuſſis, febris acuta. de reliquis coniectari tantum licet. Ita dolor iuguli non ſemper, duntaxat aliquando conſequitur. Sic nequaquàm certò potes cauſam doloris colici accipere, duntaxat ſolerter licet de ea re conijcere. Talia utrinque in omnibus propemodum morbis inuenire eſt.

CVM autem ad coniecturalem cognitionem dicatur, quónam modo curare ſingula oporteat: in his multa aliter, quàm illi, diſſeruerunt, ſentio.

SENTENTIA eſt, quòd de coniecturalibus ſignis in curatione lõgè aliter ipſe ſentit, quàm illi. Accipit autẽ Galenus per ſigna coniecturalia curationis ſimul, & ea quæ dignotionem affectuum, & prænotionem reſpiciunt: quoniam omnia ad curationem pertinent. Alij uerò orationẽ ſtatim coniunctione diſiunctiua diuidunt, & poſteriorem particulam ad curationem, priorem uerò ad cognitionem, fortè etiã præcognitionem referunt: neq; magni faciunt, quòd præcedens ſententia ſignorum, quæ ad cognitionem coniecturalem pertinebant, meminit. nam

per accidens hîc eadem resumpta dicunt, ut & curationis simul admoneret. Mihi autẽ nostra lectio magis arridet, quæ disiunctione caret: ut hæc curationis, illa uerò cognitionis discrimen faciat. Sed disceptatione uix hæc digna sunt: neq; ego eorum meminissem, nisi paulo obscurius Galenus hæc in commento disseruisset.

ATQVE ob id non solùm non laudo: sed quòd & paucis numero usi sint remedijs, nẽpe quę plurima ab ipsis reperta sint: præterquàm in acutis pharmaca sunt elateria dare, serumq; & lac tẽpestiuè exhibere. Si itaque hæc bona essent, & morbis conferrent, quibus dari censerent: longè digniora laude essent, quòd paucissima sufficerẽt. sed res in præsentiarum non ita habet. Qui uerò secundum adornauerunt librum, hi medicè magis, quæ singulis adhibenda sunt, percurrerũt. Sed de uictus ratione nihil ratione dignum ueteres cõscripserunt, quanquam magnum id esset. Varios autem morborum modos, uariasq; ipsorũ sectiones, diuisionesq;, quidam non ignorauerunt.

MIRABILIS procul dubio sermo; non quidem ob unum, sed ob multa. Primùm ergo demiror, ecquid Hipp. à morbis acutis exorbitet in morbos longos. nam præsentioris instituti erat differere quid cõueniebat in morbis acutis, quàm quid desideretur in morbis lõgis. Mirũ erat secundò, quòd in morbis longis, horũ duntaxat conquereretur breuitatem, aut paucitatem. nam ipsa qualitas magis uidetur repræhẽdenda: quippe morbi acuti potius quàm longi elaterium desiderant. Deinceps, ut serum lactis inter medicamenta referri posset: lac profectò nullo modo potest. Videte igitur, si non obliqua sit, & obtorta

hæc

hæc dictio. Vereor ne uel hãc calumniã magis mereantur nostri temporis medici, quàm ueteres. Nam & ipsi paucissimis medicamentis purgantibus, atque ijs tantum conteñti sunt, quorum rarissimus ubiq; debet esse usus. De quarto errore nihil oportet dicere. Nam uictus ferè apud ægros hodie nulla usquam est ratio. In nostro Septẽtrione nihil aliud frequẽtius auditur, quàm cereuisia decocta zaccaro, contusum amigdalinum, pullus laut capus colatus, ius ex carne, quæ assari cœpit, expressum. & hactenus tolerari possunt. Verùm quando stolidum hordei decoctum pro uero ueterum cremore supponunt, nullo modo ueniam merentur. nam maiorem similitudinem cum zytho, quàm ptisana habet. Sed & puls, quam ex iure capi, aut alio succo cùm modica hordei farina male temperant, magis ad nutricum pulmẽtaria, quàm ueterum ptisanam accedit. Et ut omnia hæc excusari possunt, illud nimis crassum est, quod pro uario morbi tempore, aut nullam, aut peruersam uictus differentiam obseruant.

QVIDAM uerò morborum singulorum numeros clarè pronunciare uolentes, non rectè scripserunt: quippe cùm non facilè numerari queant, si quis languẽtium morbos alterum ab altero quadantenus differre, nullúmque morbum eundem uideri, quin idem quoque nomẽ habeat, coniectauerit.

OBSCVRE certè, & importunè hîc adiectum est, nullumq; morbum uideri, quin idem quoque nomen habeat. Nam ipsi morbum eiusdem nominis (ut apparet ex commento Galeni) distrahebant in plures differentias. Proinde ego mallem hunc sermonem sic conuertere, Nullumq; morbum eundem uideri, quamuis idem nomen habeat. Verùm neq; hæc appẽdix admodum decebat: quum attestante Galeno in commento, morbum eiusdem nominis respectu indiuiduorum in multas secabant differentias.

MIHI uerò placet mentem omni in

arte attendere. nam quæ probè uel rectè procedunt opera, probè & rectè singula peragere oportet: quæ item celeritatem desiderāt, celeriter adimplere: & quæ sinceritatem, sincerè: & quæ sine dolore administrari postulant, citra dolorem omnem administrare.

VBIQVE salubres morbos ab insalubribus & perniciosis oportet distinguere: ut salubres rectè procuremus, & à mortalibus abstineamus: ne temere bona remedia infamentur, aut improba commendentur. Quando autem ad salubrium curationem uentum est, tria oportet obseruare, ut curatio sit securissima, citissima, & iucundissima. Contra primam rationem peccant quicunque per fas ac nefas morbum præcociter præcipitant, aut importunè stupefacientibus dolorem tollunt. Nam, ut alibi diximus, satius est morbum aliquot diebus trahere, quàm sic affatim eijcere, aut sensum cum dolore extinguere: Quod autem oportet esse iucundissimam, Hippocrates ea definitione admonuit, ubi citra dolorem curationem fieri consuluit. Verùm id ubique seruari non licet: proinde ipse nequaquam hæc simpliciter præcepit: sed illi uerbo appendit, quæ sine dolore administrari postulant. Nam quidam affectus sunt, qui uellicatione quadam indigent. Quod autem de securitate antè dictum est, hoc Hippo. hic omisit, uel sub uerbo sinceritatis cōtinuit. Sed est uerisimile, quòd uerbo καθαριότης, temerariam medicinæ commistionem damnauit, ut quantum fieri posset, morbis simplicibus simplicia destinentur remedia. Quòd si καθαριότης acciperes pro purgatione, ut sic audiatur sermo, qui purgatione indigent, tollantur purgatione: maximè conueniret cum eo, quod sequitur de dolore: Etenim purgatio ferè sēper cum aliqua fit naturæ indignatione. nec est friuola admonitio, quia pauci morbi purgationem postulant, pleriq; uerò refugiunt.

CAETERA quoque eiusmodi omnia secus quàm ij qui rem propius sunt con-

templati,ad meliorem formam nos redigere conuenit. Maximè autem medicum laudauero,qui in morbis acutis,ui quorum plurimi hominum enecantur,secus quàm cæteri in melius procedat. Sunt hi igitur acuti morbi, quos prisci nominatim perstrinxerunt: pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, causus,& quicunque alij hos con sequuntur morbi: quorum febres prorsus continuæ interficiunt.

NVSQVAM magis agnoscitur medici necessitudo,artificium,quàm in morbis acutis.nulli etenim magis interficiunt,& ferè cum febribus acutis sunt coniuncti. Veruntamen quòd lethargus coniunctam habeat febrem acutam,nouo quodam modo ab Hippocrate dictum est. Nam duntaxat lentæ febriculæ illi coniunguntur. Causus per se acuta est:unde liquidò nunc constat,quòd Hippocrates in hoc libro non tantùm loquatur de inflammationibus,uerumetiam simplicibus febribus.

CVM enim nullus communis pestiferi morbi modus passim grassatus fuerit, sed morbi & sporades,id est, diuersi generis & similes fuerint, ab his plures quàm ab alijs intereunt.

LECTIO tempore Galeni ambigua, nec sensum admodum uariat:nunquam enim epidemiæ tam sunt in uniuersum dissimiles,quin quædam ex ijs inuicem sunt similes.Verum rursum hæ ab alijs dissimiles. Ita euenit per diuersas familias,quia diuerso utuntur uictu. Neque enim unus & idem aër,quantuncunque grauis,omnes similiter aspergit, sed pro diuersitate uictus & temperaturæ afficit. Et quidem morbi,qui sequũtur temporariam aliquam influentis aëris conditionem, appellantur epide-

miæ

miæ: qui uerò naturam loci, aut ciuitatis, aut agri, eudemiæ: rursus qui errorē in uictu, aut uitium intemperaturę, sporades appellantur: atque ij uulgò difficilem curationem obtinent. Nam reliqui longo usu, longa experientia & frequentia tandem agnoscuntur. unde uulgus solet huiusmodi morbos tandem mitiores habere. Et certum est, quòd procedente tempore pauciores hi morbi interimunt. Non tamen id est, quia leniores euadunt: sed quia ratio & procuratio sese magis produnt. At sporades, hoc est, qui sequuntur aut intemperaturæ aut uictus uitium, indoctos semper latent: utpote qui ferè semper uariant. Atque hæc est causa quare quidam lectionem hanc nostram mutauerunt, & pro similes, dissimiles scripserunt. Sed parum refert. nam ut morbi ij pro diuersitate indiuiduorum plerunque sunt diuersi, ita in una familia quodammodo similes, atque alius plus, alius minus accedit. hoc autem est quod indoctos maximè in his morbis fatigat.

IDIOTAE itaque non admodum cognoscunt eos, qui in huiusmodi ab ijs differunt, qui rem propius sunt contemplati.

IDIOTAS aliquando appellamus priuatos homines: aliquando respectiuè ignaros. sic idiotas rei medicæ nunc Hippocrates appellat imperitos: atque ij ægrè dignoscere possunt doctos medicos ab indoctis. Hoc est, quod nunc dicit, licet obscurius, non cognoscunt qui in huiusmodi morbis longius decedunt, ab his, qui propius accedunt. Nam docti generali quadam morbi curatione contenti non sunt: sed pro diuersitate indiuiduorum curationem ineunt, atque distingunt. Nec ego adeò miror, quòd uulgus medicorum discrimen ignorat. nam uel apud Philosophos quosdam Thessalij quidam medici in maiori habentur pretio, quàm ipse Galenus.

ALIA'QVE auxilia magis laudant & uituperant.

FORTVNA morborum uaria est, nunc cedit, nūc uincit natura non solum ipsum morbum, sed & medicum

iniquum

iniquum,& medicamẽtum.ſæpe autem adeo iacet, ut ne per iuſtum & oportunum medicamentum aſſurgat: quo fit,ut uulgus, qui rationem rerum ignorat, & potius ſucceſſum,quàm conſenſum rerum notat,bonum malum, malum bonum æſtimet.Videntur tamen Hippocrates & Galenus aliò reſpicere,atque hoc dicere , quòd idiotæ rei medicæ aſſueti epidemijs,& alijs quibuſdam morbis,pro ratione regionum nunc hoc,nunc illud medicamentum, docti longo uſu,uituperant,aut commendant: ſed in his morbis ſparſis omnino cæcutiũt,& quid proſit, quid obſit,ignorant.Signum autem & iudicium habet Hippocrates eius rei,quod ſequitur.

IAM uerò magnum argumentum hoc, quòd uulgus quidem morbos eiuſmodi ſanationemq;,utpote rude, planè ignoret.Nẽpe qui medici non ſunt,medici eſſe maximè ob huiuſmodi morbos uidentur. Facilè ſiquidem nomina diſcuntur,quæ apud ægros adhiberi exiſtimata ſunt. Nam ſi quiſpiam ptiſanæ cremorẽ, uinumq; hoc uel illud,& melicratũ nominauerit: referre hæc omnia medici tum boni,tum mali plebeijs uidentur:ſed res ipſa ſecus habet: nempe in his & maximè alij ab alijs differunt.

ITA uidetur ſignificare Hippocrates , quòd uulgus ignoret naturam morborum iſtorum ſparſim euenientiũ atque adeò procurationem eorundem:ex eo manifeſtum eſt,quòd in his morbis nullum habeat delectum medicorũ, ſed omnes ex æquo æſtimant medicos,quicunque nouerunt nomenclaturam ptiſanæ,aut aquæ mulſæ.Sed res longè ſecus habet. Nam aliter utuntur his rebus medici docti,aliter indocti.

DIGNA autem ſcribi maximè mihi uiden

dentur:& quę ignorata sunt, quanquam medicis scitu opportuna existant, & quæ magna iuuamenta inferant, uel magnas lęsiones. Ignorata itaque hæc sunt. Cur in acutis morbis medici quidem perpetuò ptisanas non colatas exhibeant, & rectè sese curare existimēt: Alij uerò prorsus contendāt hordeum ut nullum æger uoret, subsecuturam inde quæ insignis sit offensam ueriti: sed cremorem linteo colatam porrigant. Alij uerò ex ipsis neque crassam ptisanam, neque cremorem exhibeant. Alij quidem donec æger ad septimum usque peruenerit diem. Alij perpetuò, donec morbus indicatus fuerit. Non admodum itaque quæstiones huiusmodi proponere medici consueuerunt, neque forsan si proponantur, solui reperiuntur.

DICTVM est in Apho. quòd pro ratione uirium & conditione morborum uictus quantitas sit distinguenda. Itaque qui tenuiter se habent, tota ptisana uti debēt, reliquis satis ptisanæ cremor, quibusdam etiam sufficit aqua mulsa, & oximel.

CALVMNIAM uerò insignem patitur apud uulgum ars tota, ut nullo pacto medicina esse uideatur. In acutissimis itaque morbis usque adeo dissentiunt inter se artifices, ut quæ alter porrigit, optima esse existimans, hæc iam alter mala esse putet: atque ob id manticæ, id est, uaticinationi, ars ipsa

ferè similis esse uideatur. Nempe augures alitem eundem, si quidem sinister fuerit, bonum esse existimant: si uerò dexter, malum. talia quoque in aruspicina uidentur alia in alijs: sed nonnulli uaticinantium contraria his sentiunt.

QVONIAM idem alius uituperat, alius laudat: atq; adeo nunc bene, nunc malè cedit: hinc est, quòd ipsa ars medica à uulgo diuinandi arti sit comparata. Verùm ut alibi, ita in re medica, ars quidem certa, artifices autem incerti. Sed nimis Galenus tribuit aruspicibus.

DICO autem speculationem hanc esse & pulcherrimam, & germanã, propter quàm plurima & commodissima, quę in arte reperiuntur. Nempe & ægris omnibus ad sanitatem magnum quippiam potest, sanisq; ad securitatem & exercentibus ad bonum habitum, atque ad quod unusquisque uoluerit.

PVLCHERRIMA & maximè necessaria methodus, quæ à generalibus ad specialia descendit: atq; ipsa in diuidua inuicem discernit. citra hanc enim neq; conseruatio neq; præseruatio, multo minus ipsa curatio probè inueniri poterit. quippe diuersa est uniuscuiusq; mensurę natura ac temperatura, ad quam ipsum remedium comparare oportet ac metiri.

PTISANA igitur frumentaceis edulijs rectè prælata esse uidetur in hisce acutis morbis: eosq; qui eam præferunt, laudo. Nã uiscositas ipsius læuis, continua, iucunda, lubrica, & mediocriter humens: sitim minimè infert, & si quid ablui eget, probè abluit, nõ

ast

aſtringit,non malè turbat,neq; in uentre tu meſcit.Nempe inter coquẽdum,quoad maximè potuit,intumuit.

POTEST & ex alijs frumẽtaceis fieri ptiſana,ſed nũc de hordeacea loquitur,utpote quæ in febribus acutis omnibus ꝓualet alijs.Frigida enim eſt,& humida, & quod quis minimè putaret, attenuandi uirtute prædita, ſcilicet ex tenuibus partibus conſtituta:quippe ut foris res tenues craſſa facilè ſubingrediuntur,atque eadem diſtinguũt:ita & in ipſis alimentis.Videtis ergo ut hęc ptiſana nõ uno, ſed plurimis modis in febribus acutis conuenit:atq; id in omnibus alijs diu quęres,priuſquam inuenies.Nam aqua egregiè quidem frigida & humida, ſed humores potius cogit,quàm incidit.Scio quòd Galenus eam tenuiũm partium habuerit:ſed ipſe uiderit.forſitan rerum aliarũ, atq; adeo olei duntaxat comparationem fecit.Sed hæc diſputabimus in libris de facultate ſimplicium. Neq; hæc ſola inter frigida & humida cruditatẽ parit, & auget,uerumetiam & precoces fructus pleriq;.Itaque ferè ſola ptiſana pugnat cum morbo & cauſa morbi.Accedit,quòd reliqua uentrem implere poſſunt,ptiſana uerò ipſum etiam corpus.Neq; enim mediocriter nutrit:nutriunt autem & alia multa,ſed plus aut minus:ſola ptiſana mediocritatem ſeruat,& facile ab ægris aſſumitur. Ne hoc quidem minimũ ptiſanæ priuilegium,quia econtrariò ſolida omnia egrè deglutiuntur.habet autem hoc ptiſana, non ſolùm quia humida,uerum etiam quia lubrica.Iam alia humida & lubrica pleraq; uẽtrem reddunt ſupinũ: ſola ptiſana ipſum firmat,tũ quia frigida, tũ quia parum humida: ac licet reliqua uiſcoſa diu in gula hærent, quaſdam etiam partes aſtringunt.ipſa non ſolùm facile deſcendit, uerùm etiam humores inuentos obiter ſuo cõmeatu deradit,abſtergit. Cauſa diſcriminis eſt, quia aliorum uiſcoſitas naturalis: hæc uerò duntaxat ex apparatu:adeò ut res ipſa ſit diuerſiſsima:licet nomen & phantaſia ſit eadem.Sub hac uiſcoſitatis phantaſia latent partes tenues: illę uerò omnino ex natura ſunt craſſę.Itaq; hæc uentrem retinent,ptiſana uerò ipſum leuiter admonet:atq; id rurſum abſq; ulla indignatione

gnatione: qualem afferre ſolent iuſcula omnia,braſsica ipſa,& quæcunq; ex diuerſis partibus ſunt compoſita,aut aliter flatulenta.Cauſam ipſemet Hippocrates dixit: quia inter coquendum omnem flatum depoſuit, utpote quem ex ſe minimũ habuit.quippe alia,ut fabæ,& eiuſmodi legumina,adeo flatulenta ex natura ſunt,ut nulla concoctione naturam eorum liceat tollere.

QVI autem in huiuſmodi morbis ptiſana utitur, ne uno quidem die uaſa(ut ita dicam)inaniri permittat:ſed ab uſu eius nequaquam deſiſtat,niſi uel propter medicamentum,uel clyſterem eum deſiſtere opus ſit.

TAMETSI ſanis pro diuerſitate temporis conſultum ſit diuerſis aſſueſcere: nimium idipſum conuenit in morbis preſertim acutis:ſed ut morbus unus, ita idem uictus ſeruandus,niſi aliquod accidens impedierit ex ijs quæ poſtea dicemus. Nam grauitas accidentiũ, ac rurſum preſidiorum ſemper requirunt uictum tenuiorem: quòd altero iſtorum interpellata natura non poteſt admodum uacare alimento. Forſitan eo uerbo Hippocrates Theſſalicos quoq; medicos perſtrinxit, qui triduo homines inopia cruciabant,& tandem alimentum prodigebant. Nam certum eſt,quòd longa inedia fractæ uires,uix tandem alimentum ferent.

PROINDE qui bis die cibari conſueuerũt,bis ptiſanam dare oportet: qui ſemel, ſemel quidem primo die detur, deinde ſenſim paulatimq;,ſi fieri poteſt,bis quoque detur,ſi quid putes adijciendum.

SI quidem nuſquam alibi temere mutãda conſuetudo, maximè ſeruanda eſt in morbis preſertim acutis:melius eſt autem,ut quis bis in die cibum diuidat,quàm ſemel affatim aſſumat. Nam uel in ijs qui ſemel tantùm conſueuerũt accipere alimẽtum,paulatim ſecundæ uiciſsitudini eſt aſſueſcendum,ne natura ſemel multitudine obruta morbo ſuc-

cumbat: quippe morborum acutorum pernicies in præcipite est. Quod autem eò usq; augeri paulatim uelit, donec ipsæ uicissitudines æquales fuerint, amicè intelligendum est, ac cum quodam respectu. Nam alimentum uespertinũ ferè debet esse liberalius saltem in sanis.

VERVM inter initia neq; multam, neque crassam admodum dare oportet, sed quãtum & ob consuetudinem, & ne multa uasorum inanitio fiat, ingerere conuenit.

NATVRA non solùm minus alimenti requirit in principio morbi, quandiu crudus fuerit, sed etiam multum non fert. Imo nisi naturæ timeremus, ne inedia labefactata posterius alimentum nullo modo toleraret, donec natura initium concoctionis manifestæ ostendisset, hoc est usque augmentum, ferè omne alimentum interdicerem, quatenus natura morbi concoctioni diligenter incumberet. Nam alibi diximus ob eam causam paulatim excrementorum semina in morbum crescere: quia natura impedita quotidiani alimenti multitudine, priora respicere nequit, donec deiecto per manifestum morbum appetitu, soli morbo instare incipit. Ergo & in ipso principio parcendum alimento, donec natura paulatim uestigium concoctionis impresserit, & super morbum emicuerit. Hæc est prima & generalis causa, quare paulatim ptisanæ sorbitionem augere oportet. Altera specialis est, in ijs qui ptisanæ antea nõ assuerunt. Nam ut ubiuis alibi, ita hic sensim mutanda consuetudo. Videtur autem ex commento Hippocratem singulis diebus bis dedisse ptisanæ plus minus uncias duas.

SED de sorbitionis augendæ quantitate res ita obseruabitur. Nam si morbus siccior quàm ut quispiam existimet, fuerit, non multam dare oportet, sed ante sorbitionem, uel mulsam, uel uinum, utrum magis auxiliaturum putaueris, propinare cõuenit. Quod

autem

autem in morbis ſingulis iuuare poſsit dicetur.

MORBVM ſiccum appellat crudũ,nec temere. Nam quandiu morbus crudus fuerit,aut nihil expurget, aut aliquid tenue ac uix effatu dignum, certè crudum & impurũ. In capite illius exempla manifeſta ſunt,ita in faucibus & naribus.Nam uel per grauedinem nihil exit à principio,multò minus in principio inflammationum cerebri, faucium, pleuræ,aut pulmonis. humiditatem uerò ac ſiccitatem morborum in uẽtre,hepate,uenis, paulo aliter Galenus captat. Morbos ſiccos aut crudos in uentre appellat,quandiu uenter fuerit coactus,aut reddiderit coacta & dura.Ita morbos hepatis & uenarũ forte febres ſiccas æſtimat ex linguæ ſiccitate & cutis ariditate,& ferri poteſt in febribus continuis. Nam ferè hic primum ſub finem morbi ſudor excernitur. Non tamen aliæ febres intermittentes ſtatim cum ſudore concoctionem accipiunt:quia ſepe primis paroxiſmis affatim ſudorem exigunt.Iam nequaquam febres continuæ eo uſq; concoctionem differunt, donec ſudorem exigunt:ſæpe multis antè diebus maturitatem accipiunt.Clarius ergo & hos morbos ſiccos aut crudos dicemus,qui nihil obtinẽt manifeſtæ concoctionis. Quicquid autem id ſit, manifeſtũ ex hoc loco eſt,quod alibi multis uerbis diſceptauimus,minus alimenti deberi morborum principijs quàm augmentis. Ac fruſtra ex hoc loco Auicenna,ac poſt eum neoterici nitũtur excipere febres ſimplices.nam de ijs & inflãmationibus eadem eſt ratio.Sed & Galenus nunc ipſe quod Hippocrates ſcripſit de pectoralibus, eorundem exemplo reliquos quoque affectus alibi manifeſtè audit. Nec eſt quod uereamur Hippocratem aut Galenum, ubi plus tribuunt principio,& ſubtrahunt ſub ipſum ſtatum.Nam principium & hic & in quibuſdam alijs locis continet ſub ſe augmentum,ut diſtinguatur contra ſtatum.Plura ſuper hac re ſcriberem, niſi unicuiq; facile eſſet hæc accipere ex his quę alibi de temporibus morborum ſcripſimus. Summa ergo rerum eſt,quòd morbi acuti,quandiu crudi fuerint, ptiſanam non ferunt,non etiam cremorem ptiſanæ, ſed aut uinum,aut aquam mulſam,aut oximel, idq; ſimplex,aut quod in ſe ha-

beat radicem iridis, aut eius generis aliam incoctam pro diuersitate affectuum corporum & accidentium. de quibus postea.

AT si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur talia sint, qualia esse oportet, sorbitionis quantitatē (ut summatim dicam) augere conuenit. nempe quæ citius magisq; madescunt, iudicationis denunciant celeritatē: quę uerò tardius, minusq;, tardiorem significant iudicationem.

QVOD eò amplius oportet promouere alimentum, quo ipse morbus magis concoquitur, est certum. Non est tamen ea causa, quia morbus festinat ad finem, sed quia naturæ magis uacat. Iam ut excrementum expellatur, non est satis ut concoquatur, sed uires naturæ expectat. Ad utrunque ptisana confert: nam & ad concoctionem iuuat, & uirtutē ad expulsionem corroborat, prouocat.

ET hæc quidem per se talia prorsus existunt, sed multa quoque & alia peropportuna, quibus portendi aliquid licet, prętermittuntur, quę postea dicentur.

NON solùm excrementum dum ad concoctionem festinat, breuem morbi finem denunciat, sed & morbi motus, & multæ aliæ circunstantię. Sed Galenus hic respicit ea, quę postea ab Hippocrate dicuntur: nō enim solum excrementum opportunā aut inopportunam facit ptisanæ exhibitionem, sed & quantitas idonea esse debet. & multa alia obseruanda sunt, quę postea dicentur.

ET quanto maior fuerit purgatio, tanto plus ad iudicationem usq; dare oportet. Sed maximè duos ab iudicatione dies, quibus utique, uel quinto, uel septimo, uel nono fieri debeat morbi iudicatio, tanquā dierū tum

par

paritas, tũ imparitas ꝓuidentiam habuerint.

Quòd paulatim augere oporteat alimentum ſub ipſum uſq; ſtatum, iam ſtatim antea demonſtratum eſt. Verum ne idipſum proſequamur, in ſtatu cauere oportet. Nam firma ſtat & inconcuſſa aphoriſmi ſentẽtia, quòd in ſtatu nihil ſit dandum, ſed & ſub ipſum ſtatum paulò antè ſubtrahendum. Proinde cautè hunc locum accipere oportet. (eſt enim lubric⁹) & ſtatũ hoc loco excludere: quomodo & in alijs locis pmiſit purgare prægnãtes uſq; ad ſeptimũ mẽſem, hoc eſt quarto, quinto, ſexto. Grauiſsimè igitur cũ Auicenna peccant neoterici, qui in ſtatum inflammationum liberalem uictum admittunt, & duntaxat in ſimplicibus febribus tenuem ſeruant. Nam amborum eadem eſt ratio. Videtur autẽ ipſe Hippocrates hunc intellectum reformidaſſe, & ob id adiecisſe, Et maxime duos ab iudicatione dies. Nec eſt mirum, quòd duobus à criſi diebus Hippocrates eandem rationẽ ſeruari præcipiat. Nam ſępe uel omnibus bonis ſignis præcedentibus bonam criſim poſtea recidiua ſequitur: uel quòd ęger nimis multum ſeſe replere feſtinat & nouis cruditatibus implet, uel quia aliud male cõmittit. Aliquando etiam fieri poteſt, ut medicus in diſcernenda iudicatione aberret, & imperfectã perfectam habeat. Verum interuallum duorum dierum multa diſtinguet. Nam facile uel mediocriter docto erit omnium ſignorum, quę ad conualeſcentiam pertinent, rationem & diſcrimen habere. Adijcit tãdem, Tanquam paritas & imparitas dierum aliquid prouidentiæ habuerit. Videtur mihi hoc uelle dicere, quòd dierum paritas & imparitas nequaquam contemnenda ſit, ſed quòd ad multam criſis obſeruationem conducat: & reuera magna ex parte iudicationes in diebus imparibus fiunt, utpote in quibus & paroxyſmi ipſi fiũt. Nam ut dieb⁹ ĩtermiſsionis aut remiſsiõis meli⁹ obeũt ipſę cõcoctiones, ita tempore paroxyſmi ipſę iudicationes & expulſiones.

POST hoc autem manè ſorbitionẽ dabis, ſerò autem ad cibaria tete conferes.

MANIFESTE hæc dictio plus tribuit cœnæ, quàm prandio. ita & paulò antè Galenus in commento, ubi

de simplice loquebatur athletarum ex pane prandio. Reliqua ex ipso Galeno sunt manifesta, qui non inepte colligit rationem uiuendi ab Hippocrate præscriptam esse mediocrem: utpote quam Thessalus conquerebatur æquo pleniorem: & Erasistratus, iusto tenuiorem. Atque tandem Erasistratum magis audit. Nam tametsi falsa dixerit, tamen Hippocratem diligenter legit, & aliquem suæ accusationi fucum prætexuit, ut quibusdam saltem, contra Hippocratis discipulos, uerisimilia uideat dixisse. Facile est ex ijs locis cognoscere, quòd nullus sit scribendi modus, qui malignorum hominum potest euadere contumeliam. Nam si hoc unũ & idem in contrarias partes rapere licuit, quid fiet in reliquis?

TALIA autem parte plurima prosunt his qui protinus tota utuntur ptisana.

VVLT dicere, quòd ita plerunq; succedit ijs, qui tota à principio utũtur ptisana. Forte tota ptisana referri potest ad cremorem, atque etiam alium cibum: ut sic sit sentẽtia: Sic euenit ijs qui tota utuntur ptisana, & non cremore, aut rursum alio cibo. Verbum etiam, Protinus, audiri potest & de toto initio, aut eo principio, quo cœpit uti ptisana. Nã pauci sunt, qui à principio tota uti possunt ptisana: quippe pauci sunt, qui à principio despuunt: pauciores, qui nullam euacuationem desiderant.

DOLORES siquidẽ pleuriticorum confestim sponte desinunt, ubi aliquid effatu dignũ tum expui, tum expurgari cœperit.

CVM multa ratione dolor inflãmationũ exeunte paulatim sputo mitigatur: quia materia quæ ex distentione dolorem faciebat, minuitur: aliquando tamẽ continuè magis exacerbatur. Fit autem id, uel quia plus ex propinquis partibus accedit, quàm ex loco affecto decedit, & est id rarissimum. nam tota defluxio ferè uno die cadit. Sæpius concepta antea quantitas per se intumescit, dum magis corrumpitur, quàm concoquitur. Atque hic insigniter dolor augetur, ac casus ferè mortalis est.

NEMPE purgationes multo perfectiores

ores sunt, minusq; purulenti ita fiunt, quàm si quis aliter cibaret. Præterea iudicationes simpliciores, & facilioris excretionis, & minus reuersiuæ.

VIDETVR sic colligere: Sputũ diminuit dolorẽ: sed sorbitio ptisanæ, magis quàm quiuis alius cibus, sputum ꝓmouet. Ergo multo melius euenit ijs, qui tota aut sola utũtur ptisana, quàm eius cremore, aut multo magis alio cibo. Quòd autem ptisana egregie sputum facile reddat, duob° nominibus euenit: & quia uirtutem corroboret, & materiam incidat, attenuet, & concoquat: itaq; iudicationes simpliciores sequũtur, hoc est, meliores. Videtur id ipsum ipsemet exponere, quando subiicit, Facilioris excretionis, & minus reuersiuæ. Nam duo sunt, quæ crisim redarguunt: Alterum est, quòd cum periculosis quibusdam accidentibus fiat, forte syncope, & alia anxietate: Alterum est, quòd aliquid relinquat, quod postea minatur recidiuam. sed de his alibi.

PTISANAM autem ex optimo confectam esse hordeo oportet, atq; quàm probissimè coctam, & maximè si non solo uti debeas cremore.

QVOD sit optimum hordeũ, abunde in libris de Facultatibus alimentorum diximus. Fidelissimum argumẽtum inter reliqua, quòd dum concoquitur, facilè euadit in multum succum. Alterum est, quòd bene alat. Verùm hoc serius ab effectu sumitur. Putat etiam Galenus esse incertius: & merito, quia bona nutritio non tantum sequitur rationem alimẽti, uerum etiam aliti. Nec satis est hordeum optimum, sed optima ptisana, præterea diligentem concoctionem expostulat. Et quidem uulgo una pars hordei concoquitur uiginti partibus aquæ, donec aquæ dimidia pars plus minus absumpta fuerit: sed nimis generalis est hæc definitio: certior est, donec in lentorem continũ & inæqualẽ euaserit.

NAM præter reliquas ptiſanæ facultates, lubricitas eius ne hordeum, cùm deuoratur, noxã inferat facit. Neq; enim adhęret, neq; in recto thoracis manet tramite.

SEMPER tenuiores partes alimenti citius cõcoquuntur quàm craſsiores. Itaq; hordeo parũ excocto minus mali affert cremor ptiſanæ, quàm ipſa ptiſana: percocto autẽ hordeo ne ipſa quidem ptiſana aliquid mali coniunctum habet, cruda autem multum: nam ferè aliqua eius pars in gula & ſuperiori ſtomacho moratur. cauſam neque ipſe, neque Galenus explicuit. Mihi autem præcipua apparet, quòd aſperitatis & inęqualitatis aliquid retinet, quę facit ut obiter in ipſo tramite moretur. hoc & ipſe Hippocrates tandem clàm innuit ſequenti uerbo, ubi inquit,

LVBRICISSIMA autem eſt: ſitim maximè arcet: facilime concoquitur: & infirmiſsima eſt, ſi optimè cõcocta fuerit: quib' omnibus eſt opus.

POTERAT ſic dicere, Cruda ptiſana aliquo modo aſpera eſt, percocta uero lubrica. ſed conſueuit ex poſteriori prius indicare. Quòd autem lubrica nuſquam moratur, etiam pueris notum eſt. Verum uiſcoſa nũc morantur, nunc promptè delabuntur, atque hæc controuerſia antè dicta eſt. forſitan etiam ſi quidem diſtinctè loqui uelimus, uiſcoſitas quæ in ptiſana & ſimilibus apparatibus eſt, potius quædam lubricitas quàm uere uiſcoſitas eſt. Nunc quæ incommoda ſequãtur ptiſanæ crudioris moram in recto tramite, hoc eſt, ipſa gula & ſtomacho, audi in eius contrario, ubi dixit, quòd percocta aut lubrica ſitim arcet, facilimè concoquitur. Nam ex hoc facile colliges, quòd ſemicruda ſitim infert, & potius corrumpitur quàm concoquitur. Nõ enim concoquuntur quæ in ſuperioribus partibus hęrent, ſed quæ ad uentriculũ deſcendũt. Neceſſe autem eſt ut ea quę corrumpuntur, ſitim faciant: ſicuti quæ concoquũtur, & eleganter corpus diluũt, nutriunt & ſitim reſtinguunt. Proinde Hippocrates elegantius dixiſſet, Facilimè concoquitur

tur & ſitim arcet,quàm è contrario adiecit,Infirmiſsima eſt, ſi opitimè cocta fuerit.Atque huius appendicis Galenus duplicem habet ſuſpicionem:priori loco infirmiſsimam cogitat,quæ facilime concoquitur: poſteriori infirmiſsimam appellat,quę leuiter nutrit.& eſt hæc expoſitio cõmodior, utpote quam expoſtulat ſequens ſententia. Illud miraberis ecquid aſſcripſit, Si optimè cõcocta fuerit. nũ id ita fecit, quia quę ægrius concoquũtur in corpore,plenius nutriũt? Itaque percocta ptiſana melius,ſed minus nutrit quàm parum cruda.Adiecit antem optimo iure tandem,Quibus omnibus opus eſt.Nam alimẽtũ in febribus oportet eſſe humidiſsimũ, facilimũ,neq; admodũ liberalè aut copioſum.

NISI itaque quis quantum deeſt contulerit, ut ptiſanæ ſorbendę modus ſufficiens ſit, ſæpius nocebit.

OPORTET ut quantitas redimat infirmitatem aut tenuitatem ptiſanæ.atque hęc eſt prima accuſatio propter quam male audit ptiſana,ſed immerito:quia potius eſſet accuſare ipſius quantitatis breuitatem,quàm qualitatis malignitatem.

QVIBVS enim cibus ſtatim incluſus, ſi quis non uacuato eo ſorbitionem dederit, dolorem ſi adeſt adaugebit: ſi non adeſt,protinus inducet,frequentiorq; reddetur ſpiritus. quod malum eſt.nempe pulmonẽ exiccat,fatigatq; tum hipochondrium,tum uentrem imum,tum ſeptum tranſuerſum.

MELIVS ſcripſiſſet Hippocrates pro cauſali coniunctione copulatiuã,pro enim,pręterea,aut etiã:nõ enim hęc ſentẽtia prioris reddit cauſam,ſed ſecundũ adijcit caſum, ubi ptiſana plus obeſt,quàm prodeſt. Eſt autem is,ubi recẽs ptiſana anticipat uetus uentris excrementum. Quippe generale non tantum in ægrotis,uerumetiam in ſanis eſt edictum,ut prioris cibi excrementum deijciatur, priuſquam ſecundus cibus aſſumatur. Intelligendũ tamen hoc eſt,non

quidem simpliciter, sed pro consuetudine. alij enim semel, bis in die, alij tantum secundo die, alij uix tertio deijciunt. Amplius ubique excrementum debet respondere proportioni alimenti. non enim bonum est quòd qui multa solebat ingerere, & tantum semel in die deijcere, quòd nunc idem pauca accipiat, & æquè frequenter aut etiam frequentius deijciat. Ita non est necesse, ut ei qui tantum bis in die accipit uncias aliquot oxymelitis, aquæ mulsæ, aut ptisanæ, singulis diebus uenter respondeat, priusquam secundam uicissitudinem alimenti admittat. Parum enim excrementi hæc relinquunt, neq; hoc ipsum retentum incommoda afferet, quæ hic scribuntur, sed hoc duntaxat eueniet ex cremento effatu digno & importuno: atque id quidem in omnibus aliis morbis: tamen magis in pectoralibus affectibus uentrem attollit & suspendit. Ac ne hoc quidem simplex malum. Nam perpetuo quò uenter magis distenditur, eò pectus magis contrahitur, & anhelitus difficilius obitur. Nunc autem difficultas anhelitus multa mala parit, cor & reliqua proxima uiscera inflammat & exiccat, & totum inferiorem uentrem cum superiore, hoc est, pectore fatigat, maximo procul dubio malo. nam uicissim fatigatio septi transuersi spiritum reddit difficiliorem, & fatigatio inferioris uentris concoctionem impeditiorem, quòd stomachus dum concoquit, tranquillitatem & quietē expostulat.

PRAETEREA si lateris dolor assiduus est, & ad calida fomēta non remittitur, sputumq; non procedit, sed extremè citra coctibilitatem uiscidum fit, nisi quis dolorem uel secta uena, uel alui subductione pro utriusuis exigentia soluerit, ptisanam autem ita adfectis dederit, præcipitē aget in mortem.

INSVPER ptisanam prohibent multus dolor & sputi cruditas. ac de dolore minimè dubitandum: nam si uel cōtemplatio multa, uel serium negotium à cibo in sanis salubris alimenti impedit concoctionem, multo magis dolor in ægris. Proinde aut aqua mulsa aut uino aut oxymelite

contentum esse oportet, donec dolor magna ex parte cessauerit. Et quidem dolorem dissimulant magis quàm mitigant medicamenta frigida aut stupefacientia: sed hæc dũtaxat affectibus in ignauis locis conueniunt, ubi magis urget materiæ acris qualitas, quàm ipsius quantitas. Est ubi flatulenti dolores in latere exhibent suspicionem pleuritidis, & sufficienter eos tollit fomentum ex milio. Hoc etiam aliquando ex inflammatione dolores mitigat, & placatiores reddit, dum tenuius dissipat. Verùm ubi sanguis crassior influit, grauioribus præsidiis indiget, atq; euacuatione per missionem sanguinis, rarius purgatione opus est. Secundò ptisanam prohibet multa cruditas, atque hęc multis modis cognoscitur. Nã uel omnino nihil expuitur, aut tenue quid & aquosum: aliquando etiam crassum & uiscosum. Distingues autem sic. Modica uiscositas in sputo concoctionem, multa uero cruditatem significat. ob id quoque Hippocrates non simpliciter, sed extreme: & quasi id parum esset adiecit amplius, Citra coctibilitatẽ. tale autem raro solet procedere ex inflammationibus, sed magis ex aliis affectibus pectoris, ubi materia quidem insigniter crassa est, sed meatus laxi & liberi. Neque id mirum est in pectoralibus excrementis, idem uides & in urinis. Nam uel ex iis quæ crudæ sunt, altera admodum tenuis, altera admodum grumosa & crassa. Vt ergo ad propositum redeam, utroque casu ægri per ptisanam potius obruuntur, quàm nutriuntur. neque (quod grauius est) mors diu differtur, quemadmodum in sequenti particula edocetur, sed in primo die, aut celerius anticipat.

OB has igitur causas, atque ob alias similes adhuc magis, qui tota utuntur ptisana, septimo die uel celerius moriuntur: alij quidẽ deliri, alij ob difficultatem spirandi, quæ recta ceruice fit, & stertorem pręfocati.

GALENVS intelligit, quòd non solùm ea iis contingunt, qui tota utuntur ptisana, uerumetiam iis qui utuntur oxymelite, aqua mulsa, uino. Dinstinguit autem illorum fortunam sic: quòd qui uino importunè utuntur, moriuntur deliri,

liri,relſqui præſocati.Sed non poteſt cõſtare iſta cõmentatio.Nam ipſe Hippocra.loquitur de iis ſolis qui tota utuntur ptiſana.Iam ſi ii qui ptiſana oblædũtur,ne aqua mulſa quidem, aut oxymelite uti poſſunt,quomodo toto principii tempore ſubſiſtere poterunt? Nunquid donec morbus crudus fuerit, multa cruciabuntur inedia? Vide quomodo aliquando pueriliter grauiſsima labantur ingenia,uel quia multo labore fatigata,uel quia ob multam ingenii luxuriã aliud ſcribunt,& aliud cogitant aut reſpiciunt. Ego igitur ſic intelligam: quòd non ſolum ob dictas importunitates aut occaſiones ptiſana incommodè ſumitur , uerumetiam ob multas alias magis,de quibus poſtea dicetur. Nondum enim dictum eſt, quòd maximè nocet ptiſana in principio exacerbationis, augmento eius,aut ſtatu , aut etiam ſtatim poſt purgationem. Tot ſunt ac multò plures peccandi modi,adeo ut quinto mori anticipent aut celerius quinto.Nõ enim diu ii errores mortem differre poſſunt in iis morbis qui per ſe ad finem feſtinant. Dicit autem quintum , aut ſeptimum: quoniam ut tempore paroxyſmi,eoq; ſolo ferè homines ſeruantur aut liberantur,ita ferè eodem moriuntur:aliquando tamen aliter.quo fit ut tempus ſalutis certius multò ſit quàm mortis : etenim mors aliquando ob morbi præcipitationem paroxyſmum preuertit. Nunc quare quidam deliri,reliqui autem ſtertore præfocati moriuntur,inquirendum. nam de hac re aliter ſentimus quàm Galenus. Et mihi uidentur deliri mori,in quibus materia plus exercet ſua qualitate,quàm quãtitate: econtrario præfocantur quos magis materiæ copia aut quantitas. Adiicit autem ſtertorem,quia hic ferè ſuffocationem precedit.Neq; quiſquam ex iis ferè qui ſuffocati periclitantur, reuertitur in quo ſtertor aut ſpuma uiſa fuerit.

NON perperam autem hos antiqui ſideratos eſſe exiſtimauerũt,tum maximè ob id, tum non minimè quòd mortuis ipſis latus liuidum plagæ aliquatenus ſimile uideretur.

DVAS ob cauſas eos ſideratos appellat, & quia quaſi ſydere percuſsi ſubito moriebantur,& quia emortui in lo-

eo affecto liuorem aliquem exhibebant: ita enim sydera-tionem corruptionem appellamus.& quòd quidem subito moriebantur,partim ex ratione morbi,partim ex ratione accidentis erat.ne mireris quòd ii qui hactenus signa ualetudinis referebant,aut saltem parum perniciosè habere uidebantur, uno die retro labantur ac moriantur.Nam forsitan in morbis longis unicus error diutius trahit, uerum in acutis idem in præcipitium agit.Cur autem liuorem aliquem in latere mortui exhiberent,dicetur nunc statim.

REI huius causa est, quoniam priusquã dolor soluatur, pereunt. celeriter siquidem pneumatiæ,id est,spirituosi fiunt.

QVO'D præfocentur aut aliter moriantur ob difficultatem anhelitus,facile condonari potest.uerùm quòd liuorem exhibeant ob eam causam quia pereunt subito, priusquam dolor soluitur,multa inuestigatione eget: ac mirum est quod Galenus subticuit. Non enim omnis pars affecta ac demortua liuorem præfert,sed percussa & contusa, refrigerata,aut adusta. Ita carbones & aliæ quædam partes in iis qui peste moriuntur,decolorantur:nec tãtum in his qui moriuntur peste, sed & in quibusdam aliis,qui multo æstu uruntur.Quòd si diligenter inquiramus, idem erit & in iis qui multa inflammatione in principio uruntur. Nam licet paulatim crescat putredo , tamen ratione doloris credo quòd ipsa inflammatio magis uigeat in principio quàm augmento.omitto quòd spatio temporis sanguis suam phãtasiam commutet,& quasi in alium humorem euadat.Videte ergo,an non multò elegantius & prægnantius dixerit Hippoc.Liuescant,quia pereunt priusquam dolor soluatur. quàm,quia pereũt priusq̃ calor & magnitudo inflãmaionis soluatur.Etenim uno uerbo signũ dixit,& causam clàm indicauit. Nam quòd magnitudo & calor inflammationis duret,ex eo cognosces,quia dolor perseuerat. Neque putes quòd ægri duntaxat moriuntur urgente dolore, nam sæpe pereunt ipso decrescente,quippe plures aliquando pereũt in augmento quàm principio,defecta uirtute . Atqui sputo concocto per augmentum abeunte,ferè dolor minuitur.

A multo autem & frequenti spiritu ut iã

dictum

dictum est,summè tum uiscosum, tum incoctum effectum sputum fieri egressum prohibet.

FREQVENS spiritus sputi concoctionem turbat, quia quòd concoquitur,quiete indiget.sed & frequens spiritus caliditatem magnam excitat,quæ sputum crassum uiscosum facit.tantum abest ut ipsum concoquat, ita multus calor febrilis lentorem circa dentes parit.ecquid ergo mirum,quòd febres ardentes sępe sputum in pectore lentum faciunt?Sed & in exterioribus calor solis sæpe crassam materiam in lentorem agit.quod autem dicat sputum inconcoctum egressum prohibere, potes referre ad ipsum aërē, potes referre ad ipsum sputum. Vtrūq; enim est uerisimū, sed prius est uerisimilius propter id quod sequitur.

NEMPE & sputum quod intus retinetur,prohibet aëris ad interna delationē, cogitq; ipsum celeriter egredi.

SPVTI cruditas & uiscositas nō est solum causa,quòd ipsum ægrè exeat,uerumetiam quòd aër exterior ad interiora ægrius perueniat. Quod autem minus pertranseat, rursus est in causa ut celeriter exeat atque ut omnino creber anhelitus fiat.Nam quod magnitudine non potest,necesse est ut multa uicissitudine redimat.

ET ita ad malum sibi inuicem opitulantur:nempe retentum sputum frequentē reddit spiritum, qui frequēs affectus sputum agglutinat atque expui prohibet.

MALE ferè cū ęgris accidit,ubi duo symptomata sese inuicem augent,hic difficultas anhelitus sputū reddit magis uiscosum,& rursus sputi uiscositas ipsum anhelitū reddit frequentiorem.

PRAEHENDVNT autem non solùm si ptisana intempestiuè utantur,uerum & multò magis si quippiam aliud quod ptisana

ſana deterius ſit, uel ederint uel biberint.

MAXIMVM & certiſsmum hoc eſt argumentum, quòd ipſa potius importunitas, quàm cibi qualitas iſtorum incommodorum ſit cauſa.

BENE itaq; plurimum ſimilia ſunt auxilia tum his qui tota utuntur ptiſana, tum his qui cremore ipſius. uerũ qui neutro horum, ſed potione ſola utũtur, his interdum non uno eſt auxiliandum modo.

SORBITIO ipſius ptiſanæ & cremoris eiuſdẽ, ferè eaſdẽ expoſtulãt obſeruationes, quę nũc dicentur, ſed oxymeli & aqua mulſa alias habent, quæ poſtea in tertio libro referẽtur. De reliquis cibis nihil dixit, quòd ferè illis abſtinere oporteat, aut certè iuxta obſeruationes quæ de ptiſana dictę ſunt, illis uti liceat.

ID uero obſeruandum eſt, ſi quempiam qui non ita dudum cibum acceſsit, nec alui adhuc onera deiecit, febris uel unà cũ dolore, uel etiam ſine dolore corripuit, ſorbitio danda non eſt, donec conieceris cibũ ad imas inteſtinorum partes deſcendiſſe.

MALO hic audire ipſum Galenum, quàm alios quoſdã, qui gloriantur ſe nihil mutaſſe eorum quę ſcripſerunt in iuuẽtute: nam ſterile mihi uidetur ingenium, quod ſuis laboribus nihil poteſt adiicere aut demere. Verùm id duntaxat iis contingit, qui rapſodias conſuunt, et ex aliis multa tranſcribunt, ex ſe autem nihil inueniunt. ſed hos mittamus atque ipſos ueteres imitemur, quibus aliquando euenit ob copiam rerum, ut quendam in medio hiatum relinquant, quem poſtea implent, idq; eodem aut alio opere. optimum tamen eſt ut res eodem ordine deſcribãtur, quo componũtur: nam eodem modo pulcherrime ac liquidiſſime docentur ac diſcuntur. Accedit huic rei illud commodum, quòd qui hunc ordinem ſequitur, nihil dicit ſuperfluum

um,nihil omittit necessarium. Vtrunq; incommodũ ijs accidit qui aliam sequũtur methodum. Ita & Hippocrati nunc accidit,ut semel atque iterum dicat quod semel dixisse satis erat:non enim nunc semel,sed iterum atque iterum admonuit,non cõuenire aut ptisanæ aut eius cremoris sorbitionẽ,ubi uenter obsurdescit præter consuetudinẽ,siue febris simplex fuerit,hoc est,absque inflammatione aut cum ea coniuncta:nam hæc multum dolorem uel à principio inuehere solet: quocirca in his plus quàm in aliis febribus periculosa est importuna alimẽti assumptio,hoc est,dũ uẽter stipatus est,aut dolor urget:nam & uẽter oneratus exonerandus est,& dolor potius attenuandus quàm exasperãdus. Eexasperant autem dolorem in pectore,quæ uentrem implent,ut suprà dictũ est.itaq; hactenus donec uenter obaudierit aut dolor mitior fuerit,à sorbitione cremoris ac magis ipsius ptisanæ abstinendum,& loco eius quod postea,exponitur,exhibendum.

INFESTANTE itaq; dolore potui dãdũ est oximel,hyeme quidẽ calidũ,ęstate uero frigidũ. Sed ubi sitis uehementer cruciat,& aquam mulsam,& aquã ipsam simpliciter dare conuenit.

NE hic quidem Hippocrates ordinem legitimum seruat,qui dissimulato eo quod faciendum erat in uentris obstipatione,ad ea quę tempore doloris conueniunt transilit.potius enim hic quàm postea dicendum erat, quòd uenter stupidus in infirmis eget glande , in potentibus uerò & constantibus eluente clystere.forte etiam ob eam rationem remedia doloris pręmisit,quòd eadem sint obeunda,donec uenter responderit:nõ enim perpetua inedia conuenit tantisper, donec uenter responderit , subinde compluribus diebus pertinaciter riget. quo casu,solo oximelite,aqua mulsa,aut etiamdum aqua utendũ est.sed præstat rationem singulorum uidere seorsum : nam quamuis antea dictũ est,cur ipsa ptisana in doloribus & uentris duritie officiat,nondũ tamen dictũ est,cur hęc quæ nunc dicũtur conferant: nam nec Galenus eorum causam reddidit.

Mihi

mihi autem sic sese ista habere uidentur. In magnis dolori bus oximeli, non solum non auget dolores, uerùmetiam per se nonnihil attenuat, ac digerit, nam crassũ sputum incidit, & ad expuitionem promptius reddit, magnum ad alleuationem doloris compendium: omitto quòd interim satis nutrit, & mediocriter refrigerat, sitim diluit, aliquãdo tamen materia admodum sicca est, & intolerabilem sitim infert: atque hęc maiori dilutione quàm attenuatione indiget, quo loco pro oximelite aquæ mulsæ indulgendum est: nam ut oximeli ratione aceti plus habet uirtutis attenuantis, quàm aqua mulsa, ita minus sitim coercet: est enim acetum siccum. sed hac de re posteà in tertio libro. Videtur Galenus pręterea dicere, quòd magis nutrit: atque hoc nequaquam crediderim, sed amicè ita accipiendum puto, quòd oximeli maiorem habet rationẽ medicamenti quàm nutrimenti. Ecõtrario quòd aqua mulsa maiorẽ rationẽ obtineat nutriendi quàm medicãdi: paucę enim attenuationis particeps est, & magis refrigerat, humectat, quàm attenuat, atque id in biliosis inflammationibus admodũ est utile, ac propemodum necessarium, adeo ut aliquando aqua sola uti sit necessum, nequaquã tamen id temere, sed cum multa ratione faciendum est, quòd aqua ipsa morbo crudo multa incommoda adferat, sæpe inexpugnabilem morbum postea reddat, neque usque cõuenit, nisi ubi qualitas magis quàm quantitas, aut cruditas exercet. Forte hoc Hippocrates uno nomine satis indicauit: solet enim uno uerbo & signũ rei, & ipsam rem lubenter significare: est autem multa sitis & accidens malum, & quod materiæ procacitatem potius quàm multam cruditatem significat. Vbi ergo oximelite, ubi aqua mulsa, ubi aqua ipsa utendum uidetis, uerum in hoc loco nomen, aquam, apud ipsum Hippocratem excindere oportet: nam post tẽpora Galeni accreuit, quando eius tempore hic locus Hippocratis male audierat, non ob aliam causam, quàm quòd hoc ipsum omiserat. Nam si Hippocrates asscripsisset, nimis iniqua fuisset ueterum accusatio, ridicula etiam Galeni excusatio, qui quod non dixit Hippocrates de aqua, potestate in oximelite frigido contentum uoluit, sed non possunt omnia dici in omnibus locis: satis est ꝙ in aliis locis eius meminit. Atq; hęc ita quidẽ sese habẽt in ipsis doloribus, ui-

dent mihi eadẽ cõuenire,& in ipsis obstipationibus uetris: nã qdlibet istarũ nutrire potest & uentrẽ diluere: quippe & de oxymelite alibi dictum,quód impurum uentrẽ moueat, licet purũ ratione aceti magis astringat. Nũc ergo cur oxymeli æstate frigidum,hyeme calidum exhiberi uoluerit,est agendum., cùm ea quę ad alimentum attinent:utpote lac, alibi uoluerit dari egelidum,hoc est,sub ipso sanguinis tepore. Videtur huc consonare neotericorum consuetudo, qui omnia omni tempore medicamẽta eodem modo adferri uolunt: quorum ego non possum probare consuetudinem:quoniam periculum est,ne medicamenta,quæ ex se fastidio sunt: utpote quæ magis aduersantur causæ morbi, quàm ipsi morbo, potius euomantur tepida, quàm calida aut frigida:quippe tepor os uentriculi infirmat,& econtrario tam calidum quàm frigidum stomachum corroborat. Nec tamen indifferenter, sed ut nũnc suadet Hippocrates, æstate frigidum, hyeme calidum. Multiplex eius rei ratio est. Principalis est, quia ubique ferè manifestam qualitatem rerum oportet opponi manifestę qualitati aëris: atque id quidem in sanis est certissimum,utpote quorum temperaturam aër exuperat. Ita & in ægris, fortè in pleuritide,febre acuta,tum ratione morbi,tum ratione tẽporis conueniunt frigida, adde quód sitim & reliqua symptomata elegantius mitigent.sed nondum uideo ecquid in febre acuta tempore hyemis medicamenta debeam exhibere manifestè calida,quum caliditatis ipsius affectus nequaquam satis corrigatur frigiditate aëris.Nunquid id est, quia ferè hyberni aëris frigiditas caloris excedit modum? Huc alludit quód nullã rationẽ habuerit ueris aut autũni, utpote in quibus temporibus nulla uehemens qualitas exercet,uel in his tamen prout nunc huc,nunc illuc aër declinet,medicamentum in contrarium trãsferam,certè nusquã tepidum exhibebo,quód tepida nauseam moueant,nisi forte uẽtriculi temperies sicco affectui infestetur: nam scimus quód calida & frigida contrahant & exiccent,quomodo in sicco uentriculi habitu Galenus lac exhibet egelidum aut tepidum:atque hæc de qualitate manifesta.Verùm & quantitatis habenda est ratio, & admonente Galeno in commẽto aqua affatim,oxymeli uerò paulatim,ac multo minus bibendum est:dico affatim,quantum unico spiritu exhauriri

potest

potest. quippe modica aqua à multo æstu uincitur, & sitim magis excitat, quàm mitigat, quomodo & ferrum ardens obiter aqua tinctum magis stridet. Itaque affatim uentriculum proluere oportet, nisi forte sitis ex siccitate oriatur: nam hic per syphonem bibere conuenit. hoc non intellexit Aristoteles, & propterea in suis Problematibus qđ in quibusdam deprehendit, omnibus cõuenire putauit. hac de causa & oxymeli affatim bibendum esset, sed aciditas multa & toti uentriculo, & uniuerso neruorum generi est nimis aduersa atque inimica.

DEINDE si uel dolor uel periculum aliquod aliud imminet, dãda est sorbitio, sed neq; multa neq; crassa: ac ne id quidẽ priusq̃ dies septim⁹ prẹterierit, si uires ẹgri suffi-iãt.

MIRABILIS sermo, ac quodammodo priori contrarius: nam qui statim præcessit, sorbitionem prohibet, & pro ea in dolore aquam mulsam oxymeli suppposuit. hic uerò contrà in doloribus & similibus accidentibus quæ periculum minantur, sorbitionem suadet: talis est multa uigilia, syncopa, frequens animi deliquium: nam hæc & similia uirtutem exolutam ostendunt, atque rursus magis exoluũt. Non erat dissimilis controuersia inter illas quoque dignitates, quarum altera in multis doloribus commendabat, altera uerò damnabat euacuationes: ubi dictum est, quòd horum phantasiæ magis contrariantur quàm naturæ: nam duplices sunt dolores, in aliis uirtus defecta, in aliis uerò integra. atq; hi sunt dolores qui euacuationes, qui inediam requirunt: priores uerò omnia suspecta faciunt. Videtur & nunc Hippocrates eandem differẽtiam obseruasse in hoc proposito, in quo scindit dolores qui postea fiunt, ab his qui à principio fuerunt: nam ferè ii uirtutem integram, reliqui uerò defectam ostendunt. potest tamen & à principio uirtus breuis esse. Proinde melior hæc est in genere expositio, quandiu dolor urget, & uirtus fortis est, quantum fieri potest uictui aliquid detrahendum: ubi uerò eadem debilis, eidem indulgẽdum. Si quidem igitur ẹger omnia obtineat quæ Galenus in commento ad fortitudinem describit, & morbi finis speratur, in quinto, aut etiam septimo me

licratum,aut aqua mulsa sufficiet usque ad quartum, quintum etiam si paulò debilior fuerit.sin autem multa defuerint quę ad uirtutem spectant,& plura attestentur debilitati,statim à signis concoctionis,uel etiam paulò antè, ptisanam modicam administrare oportet, post septimum uerò uel nonum crassiorem & copiosiorem. Quòd si omnibus modis debilis fuerit,& uix spes sit decimi quarti, uel statim à principio ptisanam indulgebit, & ante quintum & septimum eius quantitatem,& crassitudinem promouebit.atq; hæc de uiribus dicta sufficiant: nam quomodo cognoscemus morbi terminum,an septimo terminabitur, no no, an decimoquarto,dictum est abunde alibi.

ILLI qui nuper cibum accepit, si uires ualet,& uiget ętas,clyster immitti debet,si cibus iampridem sumptus nondum descenderit. Imbecillo autem glandem supponere oportet, nisi sponte deiectio sequuta est.

NON est mirum quòd nō deiecit,qui nihil aut parum accepit:sed malò est, quòd qui pro consuetudine accepit, consuetudine excernendi excidit. Ob hanc puto causam dixit,nuper cibato. sunt autem duri uentris instrumenta duo, glans & clyster:clysteres uerò duplici sunt differentiæ. Altera procul trahit ac medicamenta attrahentia aut solutiua suscipit,atq; hæc nullo modo in duro uentre conueniunt.Altera describitur ex iusculis pinguibus, & salsarum carnium aut piscium,decocto furfuris, lapathi mercurialis,malue, atque similium mollientium atq; abstergentium, quibus ut magis uellicent, adiicitur aliquid quod mordeat,sal plerunque, aut aliud illi simile:atque hi fortibus (inquit)conueniunt. nam etsi nihil in se habeant acre aut malignum, tamen uirtutem debilem satis exercent & fatigant, priusquam rectè iniici & retineri possunt. sed & saburra tanta in uentre, quanta per clysteres communes iniicitur,nonnihil naturam molestat.puto tamen quòd hic Hippocrates nequaquam omnem debilitatem respexerit, (quamuis Galenus dissimularit)sed eā quæ ex ętate oritur: argumento quod adiecit, Et ætas florida fuerit. Nam infanti puero quis uellet clysterem iniicere?Etenim esto

quòd nihil graue habeant, tamen inteſtina ex ſe mollia, quæ non ſine periculo diſtendi poſſunt, adeo facile preter naturam lubrica redduntur, aut aliter aggrauantur. in his ergo glande utendum eſt, ita appello ſolidam formam ex melle, ſale ad formam glandis igne excoctam, uulgus ſuppoſitorium appellat, & nunc hieram, nunc ſeuam illis adiiciunt: aliqui ex uitello oui et ſale, aliqui ex fuligine aut ſapone comparat. ſed quæ ex melle aut ſale concoquũtur, multò oblongiorem quàm glans, formam obtinent, ad inſtar longioris digiti. qualiacunque autem fuerint, duntaxat ſedem ipſam prouocãt: clyſteres uero etiam uſque ad tertium inteſtinum aliquando aſcendunt, & huculque totum uentrem eluunt.

SANE tempus exhibendę ſorbitionis tum ab initio, tum per totum morbi decurſum ſummopere obſeruandum eſt. Etenim pedibus frigore affectis nõ ſolùm à ſorbitione, uerumetiam à potione maximè abſtinendum eſt, ſed tum dabimus & ſorbitionem & potionem, quum calor ad pedes uſq; peruenerit. Nam hoc tẽpus quàm maximè opportunum eſt, cùm in omnibus morbis, tũ præcipue acutis, potiſsimũ ubi febris & periculum uehemens eſt.

NON eſt ſatis nouiſſe quo tempore ſit exhibenda ſorbitio, aut rurſum quando promouenda: præterea cognoſcere oportet qua hora. Oportet autem non tantùm in ægris, ſed & in ſanis id temporis deligere, quo fieri poteſt pulcherimè ipſa cõcoctio: hoc autẽ id eſt, quo natura quietiſsimè ſeſe habet, & ab omnibus aliis uacat muneribus. Ita cœna admittitur liberalior prandio, quia tempore noctis calor, qui concoctionem molitur, intus habitat, & ad præcordia retrahitur. Idem euenit & in principio paroxyſmi. uerùm huc alia accedunt mala, nauſea multa, uomitio

 nes

nes concoctionē inturbant, ne nūc dicā quod statim tēpus augmenti & status excipiat, ubi omnia sunt turbatissima. Non ergo duntaxat in statu aut augmento, sed & in principio noxia est alimenti exhibitio, & quidem principium paroxysmi aliter deprehenditur in intermittētibus febribus, aliter in continuis & acutis. In intermittentibus pedes & extrema sensibiliter refrigerari incipiunt, ob caussas quas antè diximus: in cōtinuis raro: in acutis uero simpliciter nusquam extrema frigida euadunt, duntaxat minus calida fiunt: sicuti econtrario, in declinatione extrema magis quàm media uiscera æstuant: nam licet materia in uenis retinetur, tamen ad extremas uenas separari uidetur. Recte ergo Galenus intellexit in fine cōmenti, aliud esse caliditatem ad pedes descēdere, aliud ex frigidis calidos fieri. Posuit etiam Hippo. per affinitatem rerum intermittentiū meminisse. Hactenus ergo alimentum prohibet. sed neq; ubiuis alibi conuenit: nam melius est id ipsum (si fieri potest) usq; ad remissionem differre, quàm in ipsa declinatione præmaturè exhibere, modo tēpus intermissionis lōgum fuerit. Verum ubi breuius timetur, in ipsa declinatione licet dare, ut duplici concoctione sit confectus, priusquam proximus excipiat paroxysmus.

PROINDE si accurate ea quæ suprà posita sunt, animaduerteris: in primis ptisanæ cremorem, deinde ipsam quoque ptisanam dare curabis.

DVPLICI ratione paulatim à cremore ad ptisanam progredi oportet: primum consuetudinis, deinde ipsius morbi: nam ut paulatim morbus cōcoctionem accipit, ita & alimentum augere conuenit: hoc est tam clarum ex fine huius commenti, ut nulla amplius demonstratione egeat. Intelligit autem principium, non quidem totius morbi initium, sed ubi sorbitione uti licet: nam ubi uel ipsa ptisana uti licebit, melius est ab ipsius cremore incipere.

HIPPOCRATIS DE RATIONE VICTVS IN MOR. ACVTIS, LIBER II.



ATERIS dolorem, siue is protinus à principio, siue postea obortus est, nõ abs re fuerit tentare tepidis fomẽtis dissoluere.

QVOD dolor lateris ex flatulenta aliqua dispositione, aut salso & mordaci humore aliis morbis superueniat, fieri potest: uerùm quòd inflammatio aliis longis morbis superueniat, aut etiam acutis, est rarissimũ. ergo dolorem lateris generaliter audire oportet, & huc uidetur respexisse Hippocrates, & excepisse Galenus, qui solo fomento dolorem leuare & medicari tentat, cui uera pleuritis ex inflammatione nunquam cedet. uerùm quia multi alii dolores interim pleuritidis phantasiam prebẽt, nequaquam ad magna statim decet confugere remedia, sed leniora fomẽta tutiora sunt, donec alicuius grauioris affectus, fortè inflãmationis, securi fuerimus: non enim temere magna præsidia insumenda sunt in paruis aut incertis affectibus. Sed neque in grauibus affectibus ipsa fomenta ignaua sunt. Nã ut totam materiam non exhauriunt, dolorem tamen leuãt, dum tenuiorem eius partem, quæ maximè solet locum distendere, absorbent, aut eliciunt: faciunt autem id partim sua siccitate, partim sua caliditate: nam caliditas elicit, siccitas uerò perdit. Est tamen ubi neutro modo iuuãt, sed ecõtrario dolorem augent: idq; dupliciter: fit id aliquando iniuria ipsius corporis, aliquando importunitate medicamẽti: sæpe enim medicamentum suo fungitur officio, sed ob corporis ac proximarum partium plenitudinem, plus succedit quàm decedit, aliquando ne hoc quidem facit, sed humores magis rarefacit quàm dissoluit, ac id quidem eue-

nit,ubi cutis densior aut humor ipse crassior:etenim hic si simul attenuatur,& in uaporosum quendam spiritum conuertitur. Vtroque in loco auxilium mutare oportet, atque adeo ut in corpore urget plenitudo,euacuatio statim obeunda est.ubi uero magis urget humorũ crassitudo,minimè calidis, sed magis attenuantibus utendum est. Atque hæc quidẽ mihi sufficere apparẽt.Verùm Galeni commẽtũ nos aliò reuocat,in quo contra commentatores fertur, qui ex proposito exorbitãt:non enim decet freqũẽter ad alias difficultates digredi,sed duntaxat ocurrentes exequi,adeo ut Galenus ne causas probet adduci eorum quæ obiter dicuntur:et re uera, posiquam hæ alibi tractentur, alius debet esse earum locus. aliquando tamen obiter summas earum perstringere licet:atque id tantum uereor,ergóne uel ipse Galenus nunc exorbitare uideatur,qui generalem doloris definitionẽ tractare apparet. Satius erat obiter meminisse quòd dolor nunc ex inflammatione, nũc ex flatulenta causa,aliquando ex multa acrimonia fiat.at nunc maximè contra unum faciunt qui hodie scribunt:scilicet ubi quis dissérit de morbis,huc adducũt morborum causas et ecõtrario. Ita ubi autor ex professo agit de simplicibus, hic agunt de morbis, et econtrario , homines friuoli , qui ubique plura exscribunt quàm exponunt.

CALORIFICO autem fomẽto quo aqua calida in utre,uesica uel uasculo æreo aut testaceo adhibetur,nullum aliud pręstantius.

APPELLAMVS fomenta humida phantasia & potentia,utpote quę ex aqua adhibentur calida,aut alio succo:sicca,quę ex rebus siccis fiunt.Sunt nunc media quædam ex utrisq; composita,talis est spongia in aqua aut decocto macerata,& tandem expressa. eiusdem generis sunt multi alii succuli in aqua,lacte macerati aut decocti,& rursum postea expressi. Sicca rursum duplicia: alia mordẽt, ut quę ex acribus cõposita:alia mollia,blãda,ut quę nulla acrimonia participant: & rursum alia ex utrisq; cõposita.Videtur autem hæc distinctio non tantum conuenire siccis,sed & humidis , & quę ex utroque genere consistunt mediis: nã

ex succi

ex succis quidam acres,quidam blandi.Iam fomenta humida aliquando excipiuntur uesica, aliqua figulino aut æreo uasculo, aut etiamdum utre,secundum diuersam partium & aliarum rerum opportunitatem:multæ enim partes sunt quę ęgrę uas testaceum aut figulinum incumbens sustinet. Atque hæc est in genere fomentorum forma.Conueniunt autem non omnibus quidem affectibus,sed præsertim qui in exterioribus consistunt partibus,aut aliquo modo cõ euadunt. Sed neque omnes affectus tollunt, duntaxat qui ex flatu consistunt:nam reliquos tantùm mitigãt iam in flatibus,atque adeo tenuibus humoribus fomenta sicca citrà morsum magis conueniunt,aut saltem humida.Vbi autem urget humorum crassitudo,hic magis conueniunt acria & sicca:nihil tamen impedit quin & acria exhibeantur actu humida. nã hoc modo illorũ uirtus magis insinuatur. sed de his postea:nunc quomodo apparari debeat, audiamus.

SED molle aliquod(quo iucundius fiat fomentum)prius lateri apponendum est.

NON est dubium,quin Hippocrates diligens admodum sit in exhibẽdis interioribus medicamentis, quando tam anxius sit obseruator in explicandis medicamẽtis exterioribus. Vna omnium ratio,quia curationem omnem oportet esse quàm iucundissimam:nec tamen hanc suppositionem quodlibet postulat fomentum,sed magis quod in testa adhibetur aut ære:nam reliqua blanda & innoxia.

QVINETIAM utiliter adhibetur spongia magna mollisque ex aqua calida expressa.

EX abrupto hunc sermonem interponit: nam posteaquam cœperat fomenta apponere,totum modum debebat describere.Iam spõgia nequaquam simplex est fomẽtum, sed inter humida & sicca medium.Vtimur autem spongia frequenter in omnibus affectibus, quia ualde diligenter humiditatem in se excipit & imbibit: maximè tamen in affectibus uentriculorum,quòd aliquid astrictoriæ facultatis in se habet,quę uẽtriculo & hepati maxime conuenit.etenim à simplicibus fomentis ferè hæc uiscera laxari periclitãtur. Quòd autem macerata & diluta in aqua ex

primantur postea, nō est illi peculiare, sed omnibus sacculis qui elixantur aut in aqua macerātur. Nec temere ista fiunt, sed ne aqua multa statim defluens partes proximas infrigidet.

VESTIENDVM uero fomētum est, ut neq; uis eius celeriter deleatur, euanescát q;, neq; nidor ad ægri spiritū pertingat, nisi fortasis usum quendam præstare uideatur: nam interdum nonnihil utilitatis in ipso deprehenditur.

NON solum linteum oportet aliquando supponere, sed insuper ipsum fomentum decet alio linteo circunscribere, ut ipsius calor diutius seruetur, & ne halitus eius aut suo calore, aut sua crassitudine anhelitum offendat: crassior enim est ipso aëre, & facile angustiā cōmittit, sed & suo calore difficultatē spirandi inuehit, quę quantum incōmodum afferat, dictū est prius: est tamē aliquādo ubi confert, & materiam crassam in pectore incidere sufficit: quippe, ubi materiæ crassitudo magis quàm ipse calor urget.

ADHAEC hordeum & eruum in aceto ita temperato, ut paulò acidius sit, quàm ut ipsum bibere quis possit, macerantur, feruéntque, deinde marsupio iniecta adhibentur. nec secus de surfure quoque sentiendum est.

HOC fomentum eiusdem rationis cum spongia, partim humidum, partim siccum. sed neque in altero genere simplex est, sed partim mordens, partim blandum. Non est autem proprium id seminibus, sed & omnibus aliis plantis, radicibus, quæ in sacculis consuuntur, ut prius obiter contundantur, & ne illorum asperitas forte partem offendat: sed & ad concoctionem contusa sunt magis idonea. Macerantur autem hæc & similia aliquando, priusquā in sacculos consuūtur, sępius postea sacculis consuta: nam uel

uel sic redduntur innocẽtiora:sed & uirtutem suam magis insinuant perfusi aut decocti sacculi,quàm sicci,quòd maior ab iis surgat halitus, presertim ubi uel ipse saccus in quo sacculi elixantur, uirtutem habet attenuandi: tale est acetum,aut aqua permixta aceto. Admiscebitur autẽ plus uel minus pro diuersitate affectuũ.Vbi affectus mitis est,& ex tenuiore sãguine,pauco aceto opus est,multo uerò ubi affectus crassior: ac rursum ubi affectus ex tenuiore aut aquosiore sanguine est,quæ exiccant sufficiũt,ut hordeũ,milium:ubi autem crassitudo impingit,acribus opus est,ut orobo,& quidem magis orobo quàm fœnogræco: nam orobus siccus in secũdo,calidus in primo:fœnogræcum calidum in secundo,siccum in primo:est autem in his ferè affectibus magis opus sicco quàm calido:nam siccum per se exiccat,omitto quòd calidum calidos affectus sępe exasperet,ita & orobi sæpe suspecta caliditas: atque hac fortè de causa nunc illi hordeum admiscuit,quòd eius caliditatem attemperet,quæ per se eximie crassos humores incidit,& attenuat.Quomodo autem in sacculis utimur eruo & hordeo,eodẽ modo & furfure:nã & furfur per se digerit & exiccat.Oportet autẽ sacculos hos cãcellatim suere & distinguere,ne omnia inuicem confundantur : amplius semper quidem applicantur calidi,non tamen semper in aqua elixantur:aliquando focis aut tegula, aqua, uino, lacte, aceto aspergitur,& sacculus eius inferiore fumo imbuitur.

ARIDA autem fomẽta ex sale milioq; fricto rectissime in laneis marsupio apponũtur : etenim milium & lene & iucũdum est.

ID simpliciter siccum est,ex blãdis tamẽ & mordacibus cõpositũ,& quod tenuiores humores possit resoluere,exiccare:nam ambo sicca sunt,sed alterum calidũ,alterum frigidum. Quòd autem torreantur hæc ipsa & frigantur,una ratione fieri apparet,ut maiorem subtilitatem acquirãt: nam licet assatio acriores partes absumat, rursum tamen crassas subtiliores reddit.

SANE dolores ad iugulum usq; extensos huiusmodi fomentum discutit.

FORTASSIS alius postea coniunctionem,&,ascri psit:quòd si à principio ipse apposuit,orationem suam ob scurauit.Neque enim ad quid dolores clauicularum comparauit,facile est cognoscere. Galen⁹ respicit dolores qui uergunt ad hypochondrion,quasi ita dixisset Hippocr. Fomentum huiusmodi non solùm soluit dolores in aliis partibus,aut fortè in hypochondriis, uerumetiam in partibus superioribus.At neque sic tota difficultas soluta est,nō solent enim tales appendices adiici,nisi de his rebus quæ ob scuritatem habent:atqui id nondum constat,ecquid fomenta obscurius in doloribus superioribus quàm inferioribus iuuet. Imò econtrario in doloribus superioribus magis,ut pote quorum inflammationes ex tenuiore ferè constant sanguine.Profectò quid hic respondebit Galenus nescio, nunquid partes superiores inflanimatæ minus admittēt fomenta,quia ossea sunt,& perfectis tegūtur uertebris:inferiores uero imperfectis,uerum id duntaxat uerum de quinque inferioribus. Hæc ergo ipse uiderit.Iam nequaquam ego ex hoc sermone intelligo quòd fomentum solùm dolores ex inflammatione penitus poterit eruere,sed mitigare tantùm.

SECTIO autem, nisi iugulum quoque dolor comprehendat,haud æqualem in doloris discussione obtinet facultatem.

SI QVIDEM liceret transponere uerba,sic ego aciperem,Similiter sectio non tollit dolorem,nisi is ad clauiculā pertineat,ut talis esset sermo, Quemadmodum fomentum nō tollit dolorem qui uergit ad hypochondrion,utpote qui ex crassiore ferè oritur humore,ita similiter neque sectio tollit inferiorem dolorem,sed superiorem tantùm,Seruata uero uerborum, ut digesta iacet,serie, hęc est sententia,quòd sectio nequaquàm utrunque dolorem soluit ut fomentum,sed duntaxat superiorem. Atque hæc quidem sentētia partim uera,partim falsa est. uerum enim est, quòd sectio magis soluit dolorem inclinantem in clauiculam quàm hypochondrium.sed rursū falsum est quòd sectio simpliciter minus auferat dolorē inferiorem quàm fomentum: nam fomentum, ut ante dictum est, mitiorem

reddere

reddere poteſt,ſimpliciter auferre non poteſt:poteſt autẽ hoc aliquando ſectio.

VBI fomentis dolor ſedatus non eſt,nõ diutius calorificis utendũm, ne uel pulmonem exiccent,uel ſuppurationem excitent.

QVOD fomentis omnino utendum ſit,ubi ſecuri ſimus inflammationis,eſt certum. Verùm ut ex hoc loco apparet,etiam urgente inflammatione, à principio fomentis incumbẽdum:nã licet totum morbum tollere nequeunt,tamen mitigare poſſunt.magnum ad reliqua pręſidia compẽdium.quippe poſteà ſedato dolore per phlebotomiam melior,& promptior fiet attractio,quòd dolor ferè trahat in contrarium. Quamuis autem ijs ipſis fomentis aliquando licet incumbere,non tamen decet ipſis nimium indulgere: nam ut aliquoties applicita conferunt, ita longo uſu aliquando magis officiunt,ídque duabus rationibus:alteram adiecit Galen.quia reſolutionẽ quodammodo prohibẽt,et ad ſuppurationem magis feſtinant. nos poſſumus eius rei ſubnectere cauſam. Quia dum quod eſt ſubtile reſoluunt,reliquum magis cogunt ac craſſius reddunt. Alteram occaſionem Galenus omiſit,quæ meo quidem iudicio eſt grauiſsima.Eſt autem ea,quòd fomenta longo uſu partem effœminant: nam ſpiritum & tenuiorem ſanguinem reſoluunt, in quo natura habitat.

QVVM uero ad iugulum dolor extenditur,aut grauitas uel brachium,uel mamillam,aut partes quæ ſupra tranſuerſum ſeptũ ſunt, infeſtat,interna cubiti uena ſecãda eſt. Neq; dubites copioſum detrahere ſanguinẽ donec uel rubicundior multò,uel pro puro rubicũdo q; liuidus effluxerit:utrunq; enim accidere ſolet.

DOLORES ſuperiores,hoc eſt,qui ad quatuor ſuperiores coſtas attinent, per miſsionem ſanguinis ex brachio:inferiores uerò,hoc eſt,ad reliquas octo,per purgationem

onem inferiorē exolui uoluit Hippocrates.adducit rationem Galenus,quia quò natura uergit, eò ducere expedit. Importune ergo idē Gal.paulò prius reuulsionis meminit, nā hanc contrà in diuersum moliri oportet. Oportet autē hanc iuxta diuersitatem corporum aut defluxionis commutare:nam aliquando ab uniuerso defluit corpore,& hic lōgius oportet reuellere: aliquando à proximioribus particulis,atq; hic proxime partes satis auertunt.subinde uena eiusdem lateris sufficit:sed de ijs alibi atque etiam paulò pòst.Verùm an dolores superiores,an inferiores costas obtineant, non est difficile cognoscere. Primò indicat loci affecti situs, deinde partium proximarum consensus : non enim tota materia semper loco affecto circunscribitur,aliquando in proximis partibus spargitur & uagatur. Rationabile est autem,ut affectis superioribus locis,& iugulum, & brachium,& superiores partes septi transuersi compatiantur,sed diuerso quodam modo: neque enim dolor idē in omnibus, sed iugulum inferiore pondere quodammodo trahi uidetur.in brachio grauitas, punctilis uero dolor in solo latere,utpote membranoso.Neq; difficile est coniicere quam hic uenam oportet eligere: constat enim ex commento Galeni, & inspectione oculari, quòd interna (quam uulgus hepaticam appellat)eas partes maximè euacuat:quippe proxima iis oritur uenis quę quatuor superiores costas nutriunt. ita humeraria partes colli & capitis exhaurit,unde uulgus eam appellat cephalicam. ueruntamen ubi neutra sese ostendit, licet secare mediam:nam ea ex fissione utriusque oritur.Reliqua sunt tam clara ex Galeno,ut nostra aut alterius illustratione non egeant.Vnum suspendit nos,quòd uenam imparem hic à sinistris inchoat,quam alii iuxta experiētiā à dextris deriuāt. mihi autem mendum apparet.Ad secundam ergo sententiæ partem uenio,in qua sanguinis qui mittetur, quantitatem metitur: non enim sufficit scire quòd sanguinem ex ea uena oportet mittere, sed amplius eius modū oportet cōiicere:quippe quæ uulgo mittuntur tres aut quatuor unciæ,ut non obsunt,ita non uideo quid proficere possint ,nisi eo, ut aliquid uideantur facere.Videtur hęc opinio ab Auicēna dicta,cui aliquando phlebotomia euentatiua (ut ipse loquitur)satisfacit: idem est ac si dicas minima quātitas,ubi uix

minimo

minimo effuſo ſanguine,rurſum uena occluditur. & fortè aliquã reuulſionẽ poteſt facere,ſed nõ uideo quomodo ali ter poſsit admodũ cõferre.Ergo pro quantitate uirium du cendus eſt,ubi omnia conueniunt quę ad robur corporis conferunt,regio,ætas,habitus, tempus anni, uſque ad ani- mi defectum facere expedit.Vbi uero pauca duntaxat de- ſunt,uſque ad mutationem ſanguinis facere licet, adeò ut uerisſimile ſit ipſum ſanguinem(qui inflammationem com miſit) partim exhauſtum eſſe. Neceſſariò autem is alium colorem referet, quàm qui in uniuerſo corpore conſiſtit, utpote qui & maiorẽ calorem & putredinem paſſus.Ergo tametſi reliquus fuerit inſigniter pituitoſus,hic tamen erit utcunque rubidus & inflammatus: quòd ſi in uniuerſo cor pore fuerit ex ſe rubicundus, uerisſimiliter in loco inflam- mationis erit aduſtus,& ad nigrum tendens,obſcurum aut aliquem alium mediocrem colorem,quem nunc per liui- dum intelligimus.Poſſumus etiam liuidum ſimpliciter in- telligere:nam licet liuidus ſit potius effectus frigidi quàm calidi,tamen aliquando & ipſum liuidum calidum ſequi- tur. Forſitan autem ne iſte quidem terminus ſufficiẽs erit: non enim bonum apparet,ſanguinem è ſuo loco ad medi um corpus trahere,& ibi relinquere:nam uel in ſanis Gale nus in quinto libro de ſanitate tuenda,ueretur ne ſanguis ab habitu corporis in profundum tractus ibidem maneat: quocirca ſecundo die ſanguinis miſsionem repetere iu- bet,ut ſanguis,qui primo die ab habitu corporis in profun dum eſt adductus,omnino foras trahatur. Tantò magis id ipſum hic uereri debemus:nam maius imminet periculum corpori à ſanguine corrupto in inflammatione , quàm phlegmonoſa laſsitudine.nec multum abeſt quin ego hac de cauſa ipſum effluere permittã, donec aliqua eius nota- bilis quantitas effluxerit. Neq; tamen rurſum noua ſangui nis mutatio expetenda:periculoſæ enim huiuſmodi extre mæ euacuationes:quia quod relinquitur , facilè à natura uincetur: ſaltem ubiq; uirtuti ſtudẽdum eſt,ubi ne primam ſanguinis alterationẽ expectare poſſumus: nam ubi plura ſunt aut etiamdum æqualia numero,quæ uirtutis debilita- tem conqueruntur cum his quę eius robori ateſtantur, po tius eſt euacuationes in plures uicisſitudines partiri,quàm affatim euacuare,hoc eſt, ſecundo,tertio die proſequi aut

emittere

emittere quod priori die in medium attraximus.

AT si eas partes, quæ sub trãsuerso septo sunt, dolor afficit, sed ad iugulum nõ ascendit, tum uel nigro ueratro, uel peplio aluus ducẽda est. miscere uero oportet uel daucũ, uel seseli, uel cuminum, uel anisum, uel aliud quippiam odoris iucundi. peplio uerò laser, hoc est, sylphij succum: quanq̃ & hæc ipsa simul mixta uires haud absimiles obtinent.

MVLTIS modis hic sermo rimosus apparet. Maximum in primis dubium apparet, ecquid dissimulata missione sanguinis purgationem commendet. Galenus putat in causa, quia spatia intercostalia, octo uidelicet inferiora, nutriuntur à uena impari, quę sub corde oritur, aut ad dextrũ eius uentriculum. nec est dubium, quin ex his locis sanguis ægrius sequitur, quàm iis quę supra cor consistunt. quidam etiam illud putant ualde periculosum. Atque hic abutuntur illa ueteri dignitate medica, qua dicitur, quòd materia morbosa nunquam ducenda sit ad loca nobiliora. atque hic quidem nimis superstitiosi: non enim ea dignitas prohibet materiam aliquam per uiscus principale foras educere, sed prohibet eò trahere, & relinquere. Mirum profectò quòd id hic tãtopere reformident: nam idem fit in quotidianis uniuersi corporis purgationibus: nam omnes per hepar decedunt: nihil ergo periculi, si uel ipse sanguis per cor obiter transferatur. Vereor etiam ne excusatio ea, quã Galenus adducit pro Hippocrate, sit tenuis & diluta: nam si loci differentiam ac situm Hippocrates uereatur, idem uerebitur in inflammationibus hepatis: scio autem quòd nunquam faciet: nam certum est omnibus medicis, in his affectibus secare uenam internam, quum tamen ipsum hepar cũ hac uena lõgiorem respectum habeat. Mihi igitur alia subesse causa apparet, quæ sumitur ex diuersa materia: nam superiores inflammationes sanguinem habent bene elaboratum, utpote cor prętergressum. uerùm qui costas inferiores nutrit, aut illarum spatia, rudimentum hepatis

redolet,crassus est,& parum exquisitè confectus,nunc melācholicus,nūc pituitosius.Nequaquam ergo hic mihi Hippocrates missionem sanguinis passim dissuadet, sed his affectibus magis quàm superiorib⁹ purgationes indulget, utpote qui aliorum humorum mixtionem maiorem obtinet.Ne nunc dicam quòd aliquis multò promptius sequatur ex inflammatione hepatis,quàm spatiis inferiorum testarū,quòd uenę directiores & liberaliores sint:ac tot quidem modis ęgrè hic procedit sanguinis missio.Videtur in eodem parum tuta purgatio,iuxta eam dignitatem,quę cauet purgare in principio. Verùm quòd in aliis locis dictū est,hic obseruare oportet,& cōcoctionē expectare: nā ipse alibi dixit,quòd qui inflāmationes in principio purgare tētant,corpus colliquant, est tamē ubi influēte adhucdū materia ꝑ sectione,purgatione uti reuulsoria licet,sed de his alibi.Tātum ista nūc adiicere uolui, ꝙ aliàs propter Gale. hūc locum de reuulsione intelleximus:quomodo ergo hic sectione,quomodo purgatione utendum sit,diximus.Diximus autem & hoc alibi, quare in affectibus hepatis potius uenam in brachio,quàm in poplite secamus,aut tale.Nunc de qualitate purgationis iuxta Hippocratem agendum, in quo statim mirum apparet, quòd missis aliis medicamētis, præcipue laudet helleborum,& peplium ex ulæ speciem:uerùm id mirum uideri desinit ex prioribus,in quibus ostendimus sanguinem qui inferiores costas nutrit,uergere in quādam crassitudinem sanguinis pituitosi,ac melancholici,ad quos eliciēdos hęc duo medicamenta pręcipue accōmoda sunt: sed & hoc alibi diximus, quòd licet helleborus albus sit,potior tamen ad subducendum aluum utimur nigro,ad prouocandum autem uomitum,albo . Minus est admirādum,quòd helleboro admiscet daucum, cuminum, aut similia,quàm medicamēta solutiua: nā nō tantùm sapore displicent,uerumetiam pleriq; eorum odorem horrent: utrunq; ergo rebus gratioribus atque elegātioribus dissimulādū est. Hæc est quoq; causa cur quedā solutiua miscēt lenioribus sorbitionibus:nam curationē oportet esse iucūdissimam & securissimam,ferè autem quæ id faciunt,simul & ea uiscera corroborant,quę solutiua infirmant, res proculdubio maximè in omnibus solutiuis necessaria. omitto ꝙ eadē solutionē adiuuant. qa crassos humores extenuāt.

Eadē credo ratiōe peplio ſylphiū adiecit:nā & Dioſcoridi ſylphiū humores craſſos ſua acrimonia īcidit, & ſuo grato odore iucunditatē illius tollit.Proinde ego neſcio quantū noſtra aſa fœtida cum Græcorū ſylphio aut Latinorū laſer pitiō conuenit. noſtrum enim teterrimum & inextricabilem habet fœtorē.Vnū noſtrum excuſare poteſt,quòd non cuiuſuis ſylphii ſuccus bonum odorem ſpirat,ſed dūtaxat cyrenaicus:nam ſyriacus & medicus etiam ipſi Dioſcoridi uiroſum aliquid ſpirāt:nec rurſum obeſt,quòd caliditas illius magna ſit, ac quę corpus colliquare poſsit: nam parua eius quantitas uel in acutis febribus innocens ſæpe exiſtit.Nunc ergo rectè Hippocrates ſeorſum elleboro, nunc ipſo utitur peplio, aliquando etiam ambo ſimul committit:nam mutuam ſocietatem rectè ferunt, nequaquam ob eam ſolam cauſam,quia eundem humorem melancholicum ambo purgant,uerumetiam quia ex æquo ad deiectionem feſtinant.Nam licet ob cauſas (quas in compoſitione medicamentorum dicemus) medicamenta quæ diuerſos trahunt humores,& rurſus quę diuerſis deiiciunt horis licet componere, iucundiſsima tamen eorum ſocietas eſt, quę in omnibus ſimiliter ſeſe habent.Verùm cur ſecundum adiicitur,quādo unum ſufficit,an debili fortè adiicitur aut econtrario,ne hoc quidem multi ſciunt, ſed nos in ſuo loco oſtendemus.Nunc tamen ne à propoſito diſcedamus,ecquid elleborum nigrum prębferat peplio,puto in cauſa eſſe,quia exquiſitius ducit humorem melācholicum quàm peplium,qui in hoc quidem loco magis quàm pituita peccat: aliquando tamen ſanguis pituitoſus eſt: atque hic magis conuenit peplium, uel ob eam cauſam, quòd ſanguis pituitoſus egregie uaporoſus eſt, aut flatulentus,quem egregie iuxta Hippocratem diſsipat peplium, idem facit puto & ſylphium. Proinde,quamuis nemo animaduertit,ubi Galenus in libro de Facultatibus ſimpliciū, peplium flatulentum deſcribit:neceſsariò mēdum ſit oportet incuria tranſcribentium commiſſum.Poterat ergo Hippocrates ſimpliciter dicere helleborum felicius purgare,ſed maluit dicere quòd ad iudicationem conferat: uno & eodem uerbo ipſum effectum & finem indicans.non enim ob aliam cauſam in augmento aut medio morborum acutorum purgationes obeuntur, quàm ut in ſtatu felicior

iudicatio

iudicatio sequatur.

CAETERVM vt hęc ambo: quæ diximus, ita plura quoq; alia, quę alui ducendæ vim habent, dolorem mitigant: sed omnium quæ ego nouerim hęc longè optima sunt.

FOMENTA dolorē mitigāt, hęc subinde penitus curant: nam fomenta leuiorē humorem duntaxat absorbent, purgatio uerò et sectio aliquam funditus totam materiam euellunt. Scio quòd difficile sit, materiam quę ex uenis in meatus corporis excidit, in uenas resorbere, aliquando tamen est possibile: neque hæc tantùm duo id faciunt, uerùm & colochyntis, & quędam alia.

NAM & in his quę sorbitionibus mixta uentrē soluūt, nonnihil præsidij est, nisi uel ob amarorem uel asperitatem, aut multitudinem, aut colorem, aut suspicionem aliquā omnino fuerint ingrata.

NESCIO an Gale. respexit diuersos apparatus medicamentorum, ita ut nunc helleborum, peplium alio modo exhibeat quàm prius, utpote cum sorbitione ptisanę, an fortè alia quędam quę magis familiariter accipiebantur cum ptisana: quomodo hodie muliercule senam dilutiori pinsorum iuri incoquunt, & alii chartamū in iure galli soluūt. Galenus scammonium aliquando insperfit sero lactis. ita enim aliquando ęgris (qui omne medicamentum etiam uel opportunissimum detractāt) oportet imponere, uel ob èam maximè causam, quòd odorem & saporem medicamentorum huiusmodi succi admodum dissimulent, adde colorem aut quamuis aliam suspicionem: quippe ægris quibusdam solum nomen medicamēti est suspectum. sunt alia medicamenta, quorum non nisi maxima copia soluit, & hæc quoq; in talibus sorbitionibus maximè tegitur. Oportet autem ubique iucundissimis medicamentis uti, aut certè aliorum amaritudinē melle, zaccharo, aut iis gratioribus rebus tollere.

QVVM medicamentum aliquis ebibit, mox ptisana sorbitioni danda est, non minori penè quantitate, quàm consueuit, nisi consuetudo rationi aduersetur.

MEDICAMENTVM requirit uentrem uacuum, & prioris alimenti perfectam elaboratione. Itaq; ab incœnato, aut certè frugaliter cœnato cōmodissimè mane medicamētum excipitur. nec id satis est: nam ut liberalior cœna nō fert matutinum medicamentum, ita rursum medicamētum non fert consuetum prandium, sed euidenter minus ac tenuius, quòd natura nonnihil per sectionem, & magis per purgationem distrahitur, cōcoctio autem quietem postulat. ecquid ergo de iis dicem⁹ qui ex præscripto medicorum, ante cœnā, post cœnā, medicamentū accipiūt, & p̄sentē crapulā asserere, haud præuertere hoc modo cogitant, similes pauperibus qui ęs alienum pignore redimūt, ac postea totum amittunt: nam licet nonnihil alleuiantur, postea penitus collabuntur. Sed neque omnem cibum licet sorbere: potius eum qui potens est abstergere & medicamenti substantiam, & nidorem eiusdem: sępe enim licet tota substantia sit excreta, ipse nidor pluribus diebus manet: neq; hoc mirum est, nam mihi aliquando hoc euenit, ut fœtor hirci obiter acceptus plusquam quatuor diebus me exerceret. Ac fortasis nidor parum detrimenti adfert, substantia uerò ipsius, siquando in uentriculo manserit, sępe efficit ut posteaquam suo opere functum medicamētum uidetur, se quentia prandia, cœnas omnes ex ordine deiiciat, donec ipsa fuerit detersa. Ergo ius aliqđ sorbere oportet, posteaquam uerisimiliter iam medicamentum purgationem absoluit, quod reliquias abstergat. Ad hoc Galenus probat ptisanam aut cremorem eius: uulgus hodie adfert ius pisorum, ius galli, ius cicerum, potest etiam pro his adferri decoctum ipsius betæ. sed de his alibi.

IN media uerò purgatione sorbendum non est: sed ubi ad purgationis finem deuentū est, sorbitio detur, minor tamē quàm pro consuetudine. Tādē leuato dolore, nisi aliud

quip

quippiam obſtiterit, liberalius exhibeatur.

PLVS eſt ſpinoſitatis in dictione, quàm difficultatis in ſententia, ſiue ipſe interpres ita à principio ſcripſerit, ſiue alius poſtea immutarit. Id antē aliquando euenit, ut quum in dictione luxuriari uolumus, totum peruertamus, aut amit mitamus decorum. Manifeſta autem ſententia, quòd nequa quam conuenit ſorbitionem ptiſanæ aut ſimilium rerum exhibere in ipſa media purgatione, ſed quando medicamentum omnino ſuo fuerit functum officio. Cauſa eſt una & altera. Prima opus medicamenti, idq; non una ratione: nam & acrimoniā quæ inteſtina uellicat, obtundit, & medicamentum ſecum abducit, ſæpe etiam dum in mezeraicas fertur, deductionem humorum ex alto impedit. Eſt & altera principalis cauſa, quòd alimentum ſæpe medicamentum altius in corpus rapiat: nam natura mendicamentum per ſe indignatur, uerùm eo aliquando permiſto fieri poteſt ut ineſcetur, quomodo & alia animantia ſimilibus cibis ineſcari contingit. Quòd autem non ſine maximo malo medicamenta in corpus rapi poſſunt, alibi diximus. Adiicit quòd neq; à purgatione conſueta ſorbitionis quantitas, ſed minor dari debet: uerùm hoc anteà dictū eſt. Quòd autem paulatim eius quantitas augeri debeat, ex eodem eſt conſequens: ſi dolor, inquit, ceſſauerit, aut nihil aliud impedierit. Nam omnis dolor ſiue à principio fatiget, ſiue poſtea ſuperueniat, tenuitatem alimenti poſtulat, ita cruditas & morbi ſuperueniens ſtatus.

IDEM dixiſſe uelim, cùm ptiſanæ cremor in uſum uenerit.

EAEDEM obſeruationes quæ in ſorbitione ptiſanæ dictæ ſunt, & omnibus aliis conueniunt.

EQVIDEM ſatius eſſe puto ut protinus ab initio ſorbitionē dare incipias, quæ tertio, quarto, quinto, aut ſeptimo die, quū uidelicet uenę conciderunt, niſi ſub hoc ſpatio ipſe morbus fuerit iudicatus.

ABSCISSVS ſermo hic eſt, & ad aliud propoſitum

pertinet, eiusdem ferè argumenti est cum eo, quod in primo libro dictum est, ubi præcipit, ne à principio uenæ multa inedia collabantur: Nam triduana, quatriduana, aut plurium dierum inedia, multos sępe ægros tollit, aut certè discrimini exponit: nō enim multa inedia fatigata natura, sequens alimentū facilè tolerabit, nisi morbus iudicetur tertio, quarto: nam in hoc morbo uirtus tam potens esse poterit, ut integrā toleret inediam. Quòd si septimo morbus iudicetur, melicratum sufficere poterit, aut cremor ptisanę: qui uerò diutius durat, à principio ipsam ptisanā postulat, nisi aliud impediat. loquor autem de iudicatione perfecta: nam quę imperfecta fit septimo, sæpe in longius tempus morbū distrahit. Adeo ego miror cur Galenus imperfectę iudicationis hic meminit: nam falsum est quòd antea quicquam de ea dixit. & licet certum sit, quòd iudicatio aliquādo imperfectam sub se compræhendat, tamen ad propositum nullo modo spectat: nam certum est, quòd morbus, cui imperfecta iudicatio imminet, usq; ad septimum diem inediam non feret.

ATQVE hos similiter ut superiores præparare oportet. De sorbitionis exhibitione hæc ferè sunt, quæ dicere decreueram.

QVAMVIS in quibusdam morbis à primo die conueniat ptisanæ sorbitio, nequaquam id simpliciter audiendum est, sed circuncisis reliquis accidentibus: nam est ubi paroxysmus prohibet. Est ubi durities uentris occurrit, clyster, balneum: nam hæc omnia uentrem uacuum requirunt, & ante cibum fieri debent.

AC de potione quoq; qualiscūq; ex his, quas posthac declarabimus, sumatur, eadem ratio est.

EAEDEM ferè obseruationes reliquis conueniunt alimentis, & poculis quæ de ptisana dictæ sunt.

SED non ignoro omnes ferè medicos à debita obseruatione grauissimè aberrare: quippe qui ab initio duos, aut tres, aut etiā

plures

plures dies fame crucient ægros, deinde & sorbitiones & potiones exhibet, quod uidelicet operæpretium ipsis uidetur, magnę corporis mutationi quippiam, quod ualde sit magnum, obijcere. Equidem mutationem laudo, si modica fuerit: recta enim debet esse mutationis translatio. Maximè uerò in ciborum exhibitione mutationis consideratio habenda.

PARVM est quòd uulgus imperitum aberret: mauult perstringere medicos, qui sibi plurima tribuunt. Thessalicos credo repræhendit: hi enim erant qui ægros triduo, quatriduo inedia affligebant. Non errant autem simpliciter, sed & in ratione quam adiiciunt: nā ut sedet, natura est permutata, ergo & consuetudo permutanda: non tamen ex eodē sequitur, quòd omnimoda inedia triduo, quatriduo sit seruāda: hoc tantùm illinc possunt deducere, quòd hactenus sit permutanda cōsuetudo, quatenus sit permutata natura: quia autem penitus mutata non est, ideo neq; consuetudo omnino relinquenda, aut fortassis ab ipsa crapula quę morbum peperit, ad extremam inediam traducenda est. Nam quia per priorem crapulam natura grauata est, frugaliorem sine dubio uictum obseruare oportet. Hoc est quod dixit Celsus sequutus ipsum Hippocratē, quòd morborum initia famem & sitim desiderant. atque omnino diuersam mutationem paulatim facere oportet, præsertim ipsius alimenti: nulla enim est mutatio quę corpus magis offendit. Nam mutationem aëris utcunque fert, quòd tempore sanitatis illā tolerare didicit: magna enim mutatio hyemis in ęstatem, & econtrario.

PORRO grauissimè læduntur ij qui tota utuntur ptisana, si mutationi peccatum accedat: ac lędũtur quoque qui succum dũtaxat assumunt. Deinde noxa afficiũtur qui

ſolam potionem accipiunt: ſed minus quàm ſuperiores.

NON reſpicit nũc mutationem qualitatis forte in eos qui in morbis utuntur ptiſana omnino tempore ſanitatis diſſueta: ſed eos reprehendit qui poſt inediam longam ſubitò tota utuntur ptiſana, eaq; multa. Minus lęduntur qui ſucco ptiſanę ſe replent, minime qui potu oxymelitis, aquę mulſæ &c. Omnium una ratio eſt, quòd natura longa inędia exoluta alimentum effatu dignum & ſolidum ægrè cõ coquit. Nam ut uirtutes animales ſuo opere fatigantur, ita naturales recreantur, ac per inediam collabũtur: facilius au tem coquitur potus quàm ſuccus ptiſanæ, & rurſum ſuccus facilius quàm ipſa ptiſana.

CAETERVM ut rectam uictus rationem inſtituamus, ſalubria præcepta quæ per bonam ualetudinem obſeruãda ſunt, perpendere oportet. Quum enim non parum interſit hácne an illa uictus ratione ſani utantur, cùm in alijs quibuſdam, tum pręcipue in mutationibus, quomodo fieri poteſt quo minus magna ſit in morbis uarietas, idq; maximè in acutis.

DEDVCTIO, aut aſſumptio iſta, eſt uariatio cibi in qualitate, aut quãtitate: lædit ſanos, frangit aut magis lędit ipſos ęgros, ac pcipuè eos qui morbis laborãt acutis. Poteſt hæc argumẽtatio pluribus modis immutari, quos ipſe Gal. explicat in cõmento: pręſertim tamẽ duas ex iis aſſumptiones accipere apparet. Alteram per ſe uerìſimilẽ putat, alteram ex pluribus aſtruit per experientiã, in qua ſanos uario modo à mutatione offendi aſſumit. Alteram quam uerìſimilem citra probationem accipit, ac quodammodo loco dignitatis habet, hoc eſt, propoſitionis primo uerę, credo, ea eſt, qua īquit, quòd mutatio magis offendit ægros, quàm ſanos. Neſcio tamen quàm ſit prima hęc, aut nomine dignitatis condigna: nam per eam probatur quę eſt generalior, in

in qua dicitur, quòd citiꝰ offēditur debilis quàm fortis. Ne nunc dicam quòd ægri ſimpliciter melius mutationem ferunt quàm ſani, ex eo quòd eorum natura eſt mutata: non enim ſani frugalitatem ferent quam morbus poſtulat.

QVO'D autem uitioſam uictus rationem, quæ nunquam uariat, longè tutius ſit obſeruare, quàm ſubito uel ad meliorem trāſire, facile intelligitur.

QVOD commutatio uictus melioris in peiorem ſit mala, etiam uulgo notum eſt: quòd uero econtrario demutatio repentina peioris in meliorem offendat, duntaxat medicis. Cauſa autem ea eſt, quòd uentriculus qui crudum cibum ac multum concoquere didicit, paucum ac facilem contemnit. Venio ad qualitatem: nam qui prauę qualitatis aut intēperaturæ cibo aſſuetus eſt, ſimilem temperaturam contraxit, quæ nequaquam ſubito melioris ſocietatem tolerat. Et quidem horum & ſequentium rationes, qui in re dialectica uerſatus eſt, facilè cognoſcet, adeo liberalis eſt hic ſermo per ſe. Veruntamen Galenus ſingulorum etiam rationes ſigillatim explicat, quòd ſi quis tam ignauus ſit, ut ne ſic ipſum ſermonem intelligat, rectè admonet, ut aliam quàm rem medicam agat.

NEMPE tum in his qui bis in die comedunt, tum his qui noxam ſemel imbecillitatemq; pariunt, repētinę mutationes: quiq; nō prandere conſueuerunt, & prandent, ſtatim ægre habent, toto item corpore graues redduntur & parum ualētes, & deſides. Si uerò & ſupercœnauerint, acidum ructant, aliosq; alui deiectio exercet. Nēpe uentriculus pręter cōſuetudinem grauatur, ſuperſicceſcere conſuetus, non bis tumeſcere, nec bis cibos coquere.

AMBO offenduntur,& qui præter cõſuetudinẽ unam uicißitudinẽ amittit,& qui alteram adiicit.Primò qui preter conſuetudinem prandent,toto corpore grauãtur: nam inſolens pondus non tantùm uentriculum,ſed uniuerſum corpus grauat.Accedit quòd fumus multus dum cibus ægrè cõcoquitur,caput & reliquas corporis partes feriat.Ecquid ergo mirum quòd deſides euadant?Vnum illis remedium, ut à cœna abſtineant:nam ſequenti cœna magis grauabuntur, & maiorem cruditatem contrahent. Sequuntur autem cruditatem ſæpe duo,alterum eſt ructus acidus,alterum importuna deiectio:nam ut in arboribus fructus ante maturitatem reddunt ſaporem acidum,ita & cibus ipſe donec cõcoctionẽ acceperit.Argumento ii qui poſtea uomunt.Non tamen ſemper ſtatim ructus ſequitur,aut uomitus,ſæpe pro uomitu humida deiectio apparet, magnum proculdubio cruditatis remedium,dum uſque ad perfectam concoctionem uentriculus& inteſtina pondus non ſuſtinent.Alii pro deiectione liquida ſcribunt aſſam,aut corporis inquietudinem.& hoc quoque frequens eſt: nam ſtomachus maximè ſenſibilis,quo admodum & inſolenter grauato non antea corpus quietem obtinet, quàm ſaburra ipſa fuerit ſurſum aut deorſum expurgata:atque hęc quidem ad expoſitionẽ ſententiæ ſufficiunt. Verùm Galenus in commento neſcio qua de cauſa,ſequentis cuiuſdam particulę rationem agit, in quo obſcuritas (quæ per interpretem ſuborta eſt) melius ad ſequẽtem reſeruabitur locum:fortè & hoc in fine minus exquiſite ab eo collectum eſt,quòd Hippocrates cõfectionem cibi in uentriculo concoctioni aliorum ſuccorum comparauit,ex eo quòd cõcoctionem appellant.Eſt tamen illud uerißimum,quòd eadem foris & in uentriculo facilè cõcoquuntur,& ut ſucci dum igne coquuntur,intumeſcũt, ita & alimentum in uentriculo.Cauſa utriuſque eadem eſt, quia utrunque dum coquitur extenuatur. Fortaſsis tamen Hippocrates per tumorem potius intellexit uentris ex alimento repletionem,quàm illius,ut ita dicam,feruorem & ebullitionem.

CONVENIT itaq; his permutationẽ reſarcire:dormire ſiquidẽ eos oportet tanquam noctem à cœna:hyeme quidem citra

frig

frigus, æstate uero citra calorem agāt. Quòd si dormire non queant, plures lente ambulādo absoluāt circuitus, neq; stēt. Nihil cœnēt aut pauca & innocua, minus preterea bibāt, aut non aquosum. Magis preterea & is afficietur, qui ter die replebitur, ac multò magis qui crebrius: quanquam sint nōnulli qui ter die satiati facile ferant, utpote qui ita sunt consueti.

QVOD somnus cōcoctionē adiuuet, alibi dictum est abūde: uerùm quòd corpus tempore somni debeat mediocriter esse tēperatū, ex eo est, quia frigus per se cōcoctionē impedit, calor uerò distrahit: itaq; tempore æstatis aërem oportet nonnihil refrigerare, hyeme uero calidiorem procurare: neque tantùm somnus iuuat, uerùm & quies: quocirca dicente Cornelio Celso tametsi somnus non detur, saltem quieti indulgendum est. Quòd si neq; id per anxietatem liceat, lente obambulandum est. Cur autem stationē prohibeat, nescio: nam ut lenta obambulatio, ita statio cibum ad inferiora deducit, magnum quidem anxietatis remedium: nam cibus ubi descenderit, anxietatem minorem relinquit, quòd os stomachi magis sit sensibile. Accedit quòd concoctionem promouet: non enim in ore uētriculi, sed fundo cibus eleganter concoquitur. Ergo omnino hic uitium subest: aut sic legendum, Lente obambulent, neque diu stent. nam longa statio corpus uehementer fatigat. Verùm frustra id precipitur, quoniam anxietas horum corporum id per se satis prohibet. Reliqua sunt manifesta: nō est enim malum accumulandum malo: itaque aut non cœnare oportet, aut certè quàm minimum sumere: neque id solùm quod est concoctu facilimum, uerùm etiam quod aliorum concoctionem procurat. Multò magis per se liquet, quòd plures errores plus officiunt uno: uerum quòd quidam plures ciborū uicissitudines, & quidam pauciores postulent, ex diuersitate conditionis uitæ euenit, scilicet qui grauibus & perpetuis laboribus obnoxii sūt, qui

toto die arant,fodiunt, ambulant, plurimam patiuntur reflationem, ac plurimo egent alimento:literati uerò,ac qui ſedentariam uitam agũt,per longiora interualla modico.

PRAETEREA qui bis die cibũ ſumere conſueuerunt,ij niſi pranſi fuerint,ægrè habent, parũ ualent, timidiq; ad quoduis opus fiũt, & cardialgici:nempe his uiſcera pendere uidẽtur,calidum mingunt,& uiride,ſtercusq; exuritur. Sunt quibus os amareſcit,oculi cauantur, & tempora palpitant, partésque frigeſcunt extremæ.

NE ii quidem ſecure agunt,qui ſolidum prandium omittunt,ſæpe aliis peius habent: nam pro eo quòd reliqui alimentum imperfectum relinquũt,hi idipſum corrumpũt, & ſuperexcoquunt,itaque uniuerſum corpus inane & biliosum redditur: priori ratione euenit (quãuis quis minimè expectabat) ut & hi ſegnes fiant,utpote collapſo calore naturali, in quo omnis uirtus habitat. Eadem ratione uenter pendere uidetur: nam plenus ſuis uiribus ſe ſuſtinet, & à circunſtantibus particulis facilè ſuſpenditur, uacuus uerò omnino laxatur atq; demittitur.Eadẽ ratiõe euenit, ut ſtercus exuratur:nam natura,dum laborat inedia,nihil dimittit intactũ,ſed uel ab excremẽto in inteſtinis exugit quicquid poteſt idoneum: quo modo homines in multa penuria etiam ex rebus abſurdis inquirunt alimẽtum:iiſdem oculi cauantur:nam quia humidi ſunt, nulla eſt pars quę citius inopiã ſentit:fortè & hac ratione extrema frigeſcunt, utpote deficiente ſanguine: non enim ſtatim cæteris calidiores qui ſanguinem habent bilioſum, uerùm qui eundem ſortiti ſunt multum.Plures enim uel nos uidimus inſigniter natura bilioſos,& tamen cuiuis frigori obnoxios, quòd ſanguis in illis eſſet admodum breuis & modicus. Reliqua poſteriorem rationem ſequuntur: nam exiccato corpore per longam inediam,uniuerſus ſanguis magis bilioſus redditur. Itaque circa tempora prẹter conſuetudinem arteriæ pulſant, ſuperfluens autem bilis,pro uarietate partium, in

quas

quas defertur, parit uaria symptomata, si quando in stomachum sua multitudine exuperat, aut aliter per inediam attrahitur, cordis dolorem, hoc est, stomachi morsum infert: quòd si magis efferbuerit, ad os ascendit, & amaritudine inficit. Nihil est quòd illius multitudinē citius quàm urina ostēdit, itaq; prçter morē pallida & lutea existit, quam nūc χλάρον appellat, quod noster interpres in priori commento malè per uiride exposuit, & totam illam partem commēti uitiauit: neque enim in talibus affectibus urina uiridis, sed prçter modum tincta euadit. Iam si quis sit lutea facie, quomodo non importunè & absurdè alius inquiret, ec quid sit factus uiridis?

PLVRIMI quoque horum qui pransi non sunt, cœnare nequeunt: qui si cœnauerint, uētris afficiuntur grauitate, ac difficilius cubant multò quàm si pransi fuissent.

DVPLEX huius causa esse potest. Altera est quòd interim stomachus capitur quadam biliosa sanie per inediam quę appetitum labefactat. atque hæc rarius, & non nisi iis qui fortunatum habent fellis & uentriculi respectum, de quibus posteà. Frequentius euenit quòd iactura prandii calorem naturalē, præsertim ipsius uētriculi, infirmat, quo fit ut non appetat, aut certè assumptam pro consuetudine cœnam parum concoquat, parum ferat, adeò ut cubare nequeant, nedum dormire; anxie enim sese habent, donec cibus descenderit & concoqui cœperit.

QVVM igitur talia ob dimidiatę diei uictus à consuetudine mutationem sanis contingant, neque adijci quicquam, neque substrahi commodè uidetur.

GALENVS priorem partem huius sententiæ refert ad sanos, secundam ad ægros: uerùm ego mallem utranq; sententiæ partem ad sanos referre, ut talis sit sermo, Si iactura unius prandii, aut adiectio tantam faciat offensam in sanis, nihil omnino ipsis temere adiiciēdum aut subtrahendum.

QVI

QVI igitur præter cõsuetudinem semel pastus toto die exinanitis uasis, quantum cõ sueuit cœnauit, si tunc impransus laborauerit, parúmque ualuerit, atque assumpta cœna tunc grauatus fuerit, multò magis enim grauari par est. Quòd si adhuc diutius uenæ exinanitæ fuerint, atque repente cœnauerit, magis adhuc grauabitur.

SABVRRA uerborum facit sentẽtiam obscuriorem: nam ablatis illis duabus particulis, Parumque ualuerit, atque assumpta cœna grauatus fuerit: sententia est illustris. Est autem ea, quòd ex duobus qui solitum omittunt prandium, magis grauatur qui laborat, quàm qui feriatur, non tantùm ante cœnam, sed & à cœna: causa est in promptu, quia labor hominẽ magis exoluit. Est tamẽ uerũ quòd qui toto die laborauit, plus alimẽti postulat in cœna, quàm qui omnino quieuit, modo uirtus constiterit: nã nutricatio atq; adeo ipsum alimentum semper debet conuenire difflationi. uerùm qui præter consuetudinem prandium omisit, & labore fatigatus fuerit, uires magis fractas habet, quàm qui quieuit.

QVIBVS ergo præter consuetudinem uenę sunt inanitæ, ij eadem die reficiendi ueniunt ita. uitent in primis frigus, calorem & laborẽ: nẽpe hæc omnia molestè inferũtur: deinde cœnam solito lõge minorem faciãt, eamq; non siccam, sed humentiorem, deinceps bibant neque aquosum, neque minus quàm ingestorum ratio postulat. Postero autem die pauca prandeant, ut accessione sensim crescente ad consuetudinem redeant.

SIVE quis satur sit præter consuetudinem, siue uacuus

& inanis,ab omni alio errore facilius offēditur, quàm qui mediocriter uixerit:nam in saturo labor concoctionem impedit, calor distrahit, frigus per se offendit, omnia tamen hæc magis obsunt uacuo:quippe hunc labor facilimè exoluit,calor prompte absumit, & frigus penitissimè ferit. Neque hæc tantùm ab homine exinanito cauenda, uerùm etiam maior quàm pro consuetudine frugalitas in cœna obseruanda: nam ut antè dictum est, natura solito tenuior parum lætè consuetam cœnam feret: itaque consueta debet esse parcior non tantùm,sed & humidior,quòd corpus exiccatum dilui postulet. Veruntamen præstat id quantitate redimere,quàm qualitate,quòd aquosum & dilutum ad modum uinum uentriculum infirmet.

TALIA uero molestius ferunt,qui parte superiori picrocholi existunt..

MEO quidem iudicio nūc Hippocrates superiori parte biliosos appellat,quibus stomachus fluxioni biliosæ ob noxius est:tales quidem sunt qui aut unum tantum,aut maiorem à felle ad stomachum meatum habent:atque horum quidē uentriculum inedia facilè biliosa implet fame: nam stomachus famelicus potius quoduis ad se alliciet uitium, quàm feret desiderium.itaque ijs præsertim mordētur præcordia,os amaricat, nec ferè ullum tandem ferent cibum, nisi prius ipsam choleram per os eieceriut. Non ergo statim omnes uniuerso corpore biliosi tales existunt. Imo ij soli quibus fabrica corporis inepta est & inidonea: nam qui uniuerso corpore pituitosi sunt, sæpe superiori parte uentriculi (ut Paulus rhetor)biliosi existunt. Frustra ergo Galenus maiora incommoda timet hac ratione uniuerso corpore biliosis quàm soli stomacho: uerùm qui & stomacho per accidens,& uniuerso corpore per se biliosi existūt, cæteris omnibus per inediam offenduntur magis, itedum pituitosis.Secus uerò & pituitosis,hoc est,frigidis & humidis,atq; adeo calidis & humidis,aut etiam tēperatis minus: nam & hi omnes citius fament,& tempore famis maiorem faciunt sui corporis iacturam,hoc est,ut dixit Hippocrates tribus uerbis,minimè ieiunium ferunt.Videtis ergo ut nulla sit inter has sententias controuersia, sed phantasia tantùm;nam aphorismus ille comparat inuicem ipsas temperaturas

raturas,presens uerò sermo impropriè loquitur de his qui peraccidens biliosi sunt,hoc est,ad fluxiones cholericas uẽtriculum habent obnoxium.Scio quòd & oculos antea Hippocrates per inediam cauari dixerit, uerùm hoc non est proprium cholericis,sed magis insigniter uidetur in temperatis sanguineis,atque adeò humidis: uerùm quòd os in biliosis citius amarescat quàm aliis,est certissimum.confuse ergo Galenus cauitatem oculorum numerauit inter reliqua.

NON assuetam autem cibi abstinẽtiam facilius omnino ferunt, qui parte superiore pituitosi sunt, quo fit ut si semel die duntaxat præter consuetudinem cibo utantur, facilius etiam ferant.

LOQVITVR de iis qui instrumentaliter pituitosi sunt,non autem similariter tantùm,hoc est,de iis qui multam in uentriculo superiore habent pituitam, ac tales quidẽ pulcherrime ferunt inediam,magis quorum uniuersum corpus laborat pituita,aut alioqui morbosa humiditate:nã de his alibi dictum est, quòd corporibus humidis famem adhibere cõuenit,uerùm de his qui similanter tales sunt, ut pueris, experientia obseruatum est,quòd ægrè inediam ferant:facile enim illorum corpora consumuntur.

POTISSIMVM sanè & hoc argumentum,quòd maximæ mutationes eorum quæ circa naturam nostram habitumq; contingunt,maximè morbos committunt.

QVOD mutationes corpori nostro obuenientes morbos sæpe committunt, his exemplis satis constat: demiror tamen ecquid nunc Galenus per habitũ partium instrumẽtalium commoderationem,aut corporis nostri fabricam intellexit.mallem ego per naturam intelligere geminam temperaturam,per habitum uerò omnem aliam quæ uenit in consuetudinem.

NON igitur intempestiuè neque fortes

uasorum

uaſorum inanitiones moliri, neq; cùm morbi uigent feruoremq; habent, cibum dare, neque repentè huc neq; illuc in toto negotio quicquam mutare licet.

PAVCIS uerbis ferè perſtringit ſummam eorum quæ hactenus egit in primo libro & ſecundo. Miror autem Galeni moroſitatem, qui harum duarum ſententiarum ordinem conuertere uoluit: nam hic longè magis quàm in aliis locis tolerari poteſt: neque uideo in quo alacrior erit digeſtio, ſi quidem inuicem commutentur.

MVLTA autem his germana eorum quæ uentri contingunt, atque alia quiſpiam dixerit, ut exempli gratia, cibos quibus uti conſueuerunt, facile ferunt, tametſi natura haudquaquam boni fuerint: ſimiliter & potus. Cibos uerò quibus uti non conſueuerunt, etiãſi mali non fuerint, moleſtè ferunt: conſimili modo & potus.

NON tantùm quantitas mutata generat morbos, uerumetiam ipſa qualitas: ferè autem eadem nobis eſt iniucunda, modo affatim incidat: itaque dupliciter nos offendunt. Prior ratio eſt, quia ut ſimilia ſanitatem ſeruant, ita diſsimilia uiolant, maximè autem id fit, ubi quis à bono uictu in malum tranſit, fortè à facili in difficilem: nam id uel uulgus nouit. Verùm quòd ſoli primates intelligũnt, ne à malo quidem in bonum, aut à difficili in leuem ſecura eſt mutatio: fortè à dura carne, piſce, in tenuẽ uictũ, ab aqua in uinum: nec obeſt quod hæc facilè, illa difficilè concoquuntur: peius eſt quòd ſua qualitate priorem temperaturam ſubito feruntur: ita forſitã hactenus aquæ aſſuetum paulatim incalfieri proderit, affatim uerò oberit. Sic qui hactenus grauem cibum concoxit, ſubito leniorem cõtemnit, ac hęc ſit prior ratio. Altera eſt, quòd ingrata nobis uentriculus faſtidit, iucunda uerò diligenter amplectitur, maximum ad

concoctionem compendium: non enim bene potest confi cere, quibus parum afficitur. ecquid ergo mirum est, quòd iucunda licet pauló deteriora, iniucundis, quanquam melioribus, melius nutriant.

SI ergo multa præter solitum carnis deuoratio, uel allia, uel sylphium, uel ipsius succus, uel caulis, uel alia consimilia, q̃ seorsum insignibus sunt prędita uiribus, uentriculis quibusdam magis quàm alia labores inferãt, min' quis admirabitur. At iure admiraberis, si didiceris quantã maza turbationẽ, tumorem, flatum, torminaq; mazam uorare non assueto pariat, si pręter consuetudinem ingesta fuerit: uel qualem panis ipse calidus sitim inferat, & repetinam plenitudinẽ, quòd tum exiccet, tum tarde descendat, & quàm uaria inter se pariant purissimi consusaneíque panes, si pręter consuetudinem deuorentur: & maza similiter uel arida, uel humida, uel tenax: qualiter item & polentæ adficiant, recentes quidem eos, qui recentibus uti non consueuerunt, & aliæ alios, qui recentibus ex consueto utuntur. Ad hæc quid faciant uini & aquæ potationes præter consuetudinem, in aliud subitò translatę: quid dilutum item uinum, meracumq; repente pota: dilutum enim madorem in uentre superiore facit, in inferiore flatum. Meracum uerò uenarum palpitationem efficit, capitisq; grauita-

tem,& sitim infert. Præterea quid uinum album, nigrumq; preter solitum mutata, quæ si ambo uinosa fuerint, corpus ualde alterāt: quocirca dulce uinosumq;, minus quis dixerit mirum esse, non idem posse ubi fuerit repentina mutatio.

NON est mirum, quòd magna mutatio offendat: idem etiam accedit paruę. ita qui pani assuetus est, ęgrè polentā fert, aut mazam, quanquam ex eodem fiant hordeo, adeo uel in solo apparatu mutatio lędit. presens est experientia: nam uentriculum insuetum licet calidum, flatibus suspendit, torminibus exercet: difficilius dices cur assuetus præsertim frigidus nihil istorū patiať, ac fortassis alibi diu inquires. Interim ego in causa puto, quòd prius diximus, liberalem uentriculi complexum: nam quamuis maza atque adeo polenta in se aliquid flatulentū habeant, tamē tale est, quod diligens uentriculi complexio facile expugnat, ita qui recenti pani assueuit, auarè illum compræhendit, deorsum mittit, paucis eleganter concoquit: atqui idem in dissueto dum fastiditur, suprà suspenditur, inflat: qua de causa ut quàm maximè humidus existit, sitim tamen facit, quē admodum & omnia alia quę non delabūtur, sed suprà morantur: fortè etiam idem facit manifesta caliditate, & recenti fuligine. Ob easdem causas, qui recenti assueti sunt, ęgrè admodum ueterē tolerant, accedit quòd recentior circuncisis reliquis accidentibus facilius concoquitur, est enim humidior. Quòd autem pauló sit humidior, duobus modis disces: primum ex pueris, ferè enim ii eo delectantur maxime, utpote simili. Alterū testimoniū ex ætate sumitur: nā si uetus sit, siccissimus, ergo recētissim⁹ humidissimus, opportunus medius, utpote hesternus. Nō ergo nūc oportet dicere, cur recētes polentæ eū offendūt, qui ueteribus uti solet, aut econtrariò: nā ratio omnium eadem aut certè admodū similis. Multò minus dicere oportet, in quo offenditur, qui meracum bibit, antea diluto assuetus, aut econtrario: constat enim quòd meracum præter consuetudinem potū caput tentat, & omnem sanguinem inflat: econtrario dilu

tum dum circa præcordia moratur, ęgrè ipſa hum ectat:dũ uerò ad inferiora deſcendit,ipſa inflat,ita & nigrum inſolentia ſua afficit,& rurſum album,tantò facilius condonabis,quòd aliter uinũ dulce, aliter uinoſum afficiat:nã uinoſum(queadmodũ diximus in libris de Facultatibus alimentorum)parum habet acrimoniæ,ſed multum uinoſæ ſubſtãtiæ:ſed de iis in principio tertij dicemus exquiſitius.

CAETERVM partem hanc ſermone cõtrario iuuare oportet:nempe his mutatio uictus facta eſt,corpore neque ad robur, ut cibos adijcere, neque ad infirmitatem ut cibos diminuere oporteret, permutato.

SETENTIA eſt,quòd ſatis ſupérque mutatio rerũ eſt damnata,ac tempus eſſe ut uiciſsim dicatur ubi conueniat:non enim ubique importuna exiſtit,ſed ubi corpus eodem modo ſeſe habet. Alibi uerò tantùm eſt immutanda conſuetudo,quantum ipſa eſt permutata natura,ſcilicet debilior ſubſtractionem, fortior adiectionem deſiderat, idq; in ſanis, nam in ægris contrarium accidit.

CONIICERE autem oportet & ualiditatem,& modum cuiuſque morbi: hominis item naturam,atque ægri in uictu conſuetudinem,non in cibis ſolùm,uerùm quoque & in potionibus.

PRAEPOSTERO ordine quodammodo Hippocrates utitur : nam uictus ante omnia reſpicit ipſam uirtutem : uirtutem autem partim capimus ex pulſu, partim ex corporis temperatura,partim ex circunſtantibus cõditionibus;quippe natura bene temperata,robuſta eſſe ſolet,præſertim in ætate conſiſtentiæ,multum etiam confert ſolidus corporis habitus,aër temperatus, in quo uixit:aut certè frigidus.Idem eſt de tempore anni:fortiora enim corpora in hyeme & uere,quàm æſtate:robuſtius æſtimabitur,ſi præter hæc & libere,& liberaliter fuerit educatum.Econtrario ferè ſuſpecta uirtus in eo eſt, qui tenuiter uixit: multis grauibus curis,negotiis obnoxius, ſemper uerſatus in aëre calido

do,& habitu admodum ad perſpirationem idoneo: quòd ſi ætas puerilis fuerit, multò amplius: non enim hunc fortem appellamus, qui multum habet caloris naturalis, ſed qui parum expoſitus difflationi: ita & conſiſtens ætas nũc fortior dicetur puerili. Loquitur etiam de uirtute uitali & naturali: nam animalis ferè magis labitur in acutis, naturalis uerò & uitalis in longis: cauſam alibi diximus. Atque hæc ſunt prima ſignorum genera, quæ atteſtantur uirtuti, non tamẽ ſufficiũt: non enim uel fortiſsima uirtus multo tẽpore inediam feret, aut melicratum ſolùm contenta accipiet, ſed iuxta longitudinem morbi eam metiri oportet: ergo quo fuerit morbus longior eo plus requirit alimenti, item quo fuerit maior: & quidem longitudinem morbi metimur iuxta ea, quæ ſcripſimus in Aphoriſmis, magnitudinem uerò ex ipſis capimus accidentibus: non eſt enim dubium, quin multa uigilia, multus dolor naturam uehementer labefactet, & quantum fieri poteſt, adiectionem poſtulet. Sed ut ſermo ſit illuſtrior, tres mihi ſtatue, qui eodem die capiantur, febre acuta, ac ſimiliter robuſtos: forſitan quilibet eorum diuerſam rationẽ uictus requiret: nam ſi fortè primus finem expectet tertio aut quinto die, hic integram feret inediam. Non tamen ſecurè inediam ſeruabunt, qui eandem febrem tracturi ſint uſque in ſeptimum: fortaſsis neque uel horum uterque eundem uictum poſtulabit, ſed priori ſufficiet melicratum, ut qui leuiorem morbum patitur: alteri uerò qui uehementius exercetur, cremor ptiſanæ erit neceſſarius.

CIBORVM autem adiectioni intendẽdum multò minus, ſubtrahere uerò ſępe numero expedit, cùm æger ſufficere poſsit, dum morbi uigor matureſcat.

DICEREM plura de hac re, niſi iſtam diſputationem totam effudiſſemus contra Manardum in commentariis aphoriſmorum. Ergo nunc ſatis erit perſtringere eorum, quæ ibi dicta ſunt, capita. Pendet autem tota hæc diſputatio ab uno cardine, quòd ſuſpectiori ſemper magis incumbendum ſit: ſuſpecta autem aliquando ipſa uirtus, aliquando ipſe morbus: morbus quidem in acutis, uirtus uerò in lõgis: nam anteà dictum eſt, quòd in longis ferè uirtus labo-

ret.Est autem eius duplex causa,altera quia eorum causa fe rè frigida est, quæ magis illi aduersatur quàm calida,adde quòd semina morborum longorum ualde lentè magnitudinem obtinent,& sæpe diu naturā exercent,priusquàm apparent, uerùm acuti morbi subitò emicant. Quòd autem morbi acuti magis sint suspecti quàm longi,etiam pueris notum est: ergo iuxta priorem & antiquam dignitatem,in morbis longis magis debemus esse solliciti uirtutis,in acutis uerò ipsius morbi: nunc uictus qui uirtutem conseruat, ferè morbum auget, econtrario inedia & uictus parcimonia simul & morbos & uirtutem extenuat. Non est igitur dubium, quin in morbis longis tutius semper inclinamus ad plenius, in acutis uerò ad tenuius: exempli causa, æger trahens morbū longū cui debentur sex uncię carniū, facilius feret luxuriam octo unciarum,quàm breuitatem quinq;. econtrario eum qui laborat febre acuta,minus offendent quatuor unciæ cremoris ptisanæ, quàm septem:nam septē exasperabunt morbū,quatuor uerò duntaxat obiter attenuant uirtutem, à qua nobis minus est periculi, quàm à morbo: econtrariò in longis morbis magis periclitatur æger ob breuitatem uirium,quàm magnitudinem morbi.Iam in morbo longo peccatum plenitudinis spatio temporis redimi potest,in morbis uerò acutis non potest:nam citius hominem præcipitabis, quàm plenitudinem attenuare poteris:uerùm econtrariò si quid minus dederis, altero die aut paulò pòst facilè poteris supplere. Videte ergò quàm miserabiliter hic Manardus hæserit,qui in omnem figuram septimū aphorismum in primo libro uertit,ut eum cum hoc componeret,quum nulla sit illi cum hoc loco cōtrouersia, sed phantasia tantùm.

QVIBVS autem id faciendum sit, scribetur.

NON quidem in omnibus omnino morbis uictus subtrahendus, sed quibusdam,de quibus pollicetur Hippocrates se scripturum postea: uerùm ut Galenus conqueritur,id ipsum Hippocrates neglexit,aut posteà interiit: nam quæ in quarto scribuntur de morbis acutis, parum Hippocratis genium referunt. Dictum est autem alibi,quòd soli acutissimi extremam inediam ferunt, utpote qui tertio aut

quarto die sunt relicturi:nec rursum ii omnes: sed in quibus uirtus bene constat.

MVLTA autem & alia his quæ dicta sunt, germana quis scribere potest.

GERMANVM appellat simile: multa autem sunt præter dicta quæ similiter omnem subitam in sanis mutationem repræhendunt: nondum enim dictum est quòd aëris mutatio ferè reliquis omnibus magis lacessit. Quinimo neq; qui duro cubili assueuit, molle tolerabit: nihil enim est quòd nulla nos qualitate afficit, aut cuius contrarium contrarium non edat.

HOC autem uerius efficaciusq; testimonium: neque enim rei, de qua plurimus fact' est mihi sermo, germanum existit, sed res ipsi commodissimum est documentum.

SENSVS est, prius dicta duntaxat procul & per quandam similitudinem ostendunt ipsum propositum, hoc est, periculum repentinæ mutationis in ægris: ista autem quæ nunc dicuntur, plusquam germana sunt; & propius accedunt, neque amplius à simili, sed ipso exemplo, aut ipsa euidente ostenditur experientia.

NEMPE quidam per acuti morbi exordia eodem, quo laborare cœperunt, die comederunt: alij postero die, alij quiduis, alij potionem mixtam sorpserunt: sane hæc omnia deterius quidem habet, quàm si modo alio cibaretur quis: sed quæ hoc tempore peccata fiunt, ea minus multò lædunt, quàm si primis quidem diebus, uel duobus, uel tribus uasa quis integrè inaniuerit, mox quarto uel quinto talia monstrauerit. Sed sanè deterius aget qui omnibus his diebus ua

sa ante exinaniuerit, & sequentibus quibusdam diebus ita pauerit, priusquam morbus maturus reddatur. nempe hoc pacto mortē plurimis liquido adfert, nisi morbus omnino mitis fuerit.

NEQVAQVAM quoduis peccatum magis offendit in principio, quàm augmento, aut in morborum initijs quàm sequentibus diebus, sed duntaxat quoddam: nam iniqua parcimonia magis offendit in augmento, quàm in initio. Sed sunt alij qui peccāt in ciborum delectu, quales uulgo hodie sunt qui pro ptisana, aut cremore ptisanæ aliud alimentum accipiunt, nescio an hoc sit delictum quod primo reprǣhēdit loco: fortè hoc significat, quod qui importunè primis diebus utuntur alijs cibis, magis læduntur, quàm qui assumunt ptisanam, atque hactenus tamen in primis diebus peccatum hoc medicabile. Multo periculosius habet, qui post inediam trium aut quatuor dierum tales idoneos cibos sumpserit: non enim simplex delictum est, sed alterum ex mali cibi delectu, alterum uerò ex ipsius tēporis importunitate: atque id uix redimi poterit, præsertim ubi ante augmētum, aut manifestam morbi concoctionem ab inedia ad pleniorem subito cibum quis transierit: nam neque natura subitam mutationem læte excipit, neque rursum morbi conditio bene fert. Itaque ferè æger strangulatur, ac moritur priusquam peccatum redimi potest: aliquando tamen compensare licet, ubi morbus mitis: nam fortis natura aliquando & morbum mediocrem, & multa medicamenta superat. Minus est periculosa hæc mutatio sub augmētum: nam tametsi natura attenuata parum ferat, tamen tempus morbi expostulat.

QVAE uerò in principio committuntur delicta, ea non similiter his inuincibilia existunt, sed facilius domari possunt.

NON quidem omnia, sed pleraque, ut dixi, peccata in primis diebus commissa, spatio temporis reprǣhendi possunt: nam ubi natura aut qualitate, aut quantitate cibi offē

sa

sa est in statu, morbus sæpe interficiet, priusquam error castigationem admittet: ita & ubi à principio natura attenuata est, tandem uires resumere poterit: atqui in fine attenuata sępe succumbet, antequam ex priori errore conualescere poterit, atque huc præcipuè uidetur respexisse Hippocrates. attestatur eidem sententia quæ sequitur.

HOC sanè maximum reor esse argumẽtum, quòd primis diebus, quãuis sorbitione nequaquã eos priuemus, quibus intimũ est, ut paulò pòst sorbitionibus quibusuis uti debeant.

ALIENA, ut uulgò dicimus, pericula reddunt nos cautiores. itaque si offendantur, qui non nisi tandem aut ptisanam, aut cremorem eius sorbent, certum est, quòd melius sit illos à principio paulatim assuescere, qui posteà requirunt. Non requirunt autem omnes, sed plerique, utpote quibus uirtus est imbecillior, aut morbus alioqui imminet longior: iam ne hi quidem semper, & à principio uel ptisanam, aut etiam cremorem ptisanæ sorbebunt. Impedit aliquando paroxysmus, aliquando purgatio, aliquando uehemens dolor: uerùm his circuncisis accidentibus à cremore ptisanæ paulatim ipsa assumenda est ptisana.

PRORSVS ergo qui hordeacea utunt ptisana, quòd ægri lędentur, ignorãt, si duobus, uel tribus diebus, uel etiam pluribus exinanitis uasis sorbere incipiant. Neque etiam qui solo utuntur cremore, quòd sorbentes lędentur, intelligũt, ubi non rectè sorbitionem inchoabunt, sed tunc cauent, magnãq; intelligunt læsionem, si ęger ante maturationem morbi ptisanam hordeaceam sorbeat, cremore uti suetus. Quæ omnia efficaciter demonstrant medicos non rectè ægrotãtes

ad cibos inducere: quippe qui uaſa exinaniant in his in quibus exinanienda non ſunt, ſed ſorbitionem dare oportet. Et contrà in quibus ex uaſorum inanitione ad ſorbitiones tranſeundum non ſit, in illis tranſeant.

NON offendũtur duntaxat ii, qui importune aliis utuntur alimentis, uerumetiam & ii, qui importunè ptiſana, aut etiamdum cremore ipſius ptiſanæ: ac quidem maxime importuna eſt eius aſſumptio poſt inediã omnimodã trium, aut quatuor dierum, & id quoq; nunc nimis frequenter dictum eſt. Dicit nunc amplius, quòd non ſolùm poſt eam inediam, uerumetiam poſt longiorem cremoris ptiſanæ conſuetudinem, ipſius ptiſanæ ſorbitio malè noceat, niſi ualde paulatim eius quantitas creſcat: hoc eſt quod dicit, Vbi non parum rectè ſorbitionem inchoabunt. Fit autem hæc mutatio aliquando ante concoctionem manifeſtam, aliquando uerò paulò poſtea, & eſt tolerabilior: nam quæ ante concoctionem fit, etiam ab aliis medicis redarguta eſt: uerùm altera (ut inſinuat Hippocrates) mutatio nemini fuit ſuſpecta, utpote quæ tantùm uetuerit tranſmutationem inediæ, aut cremoris in ptiſanam, in ipſo principio. Duobus ergò modis ueteres peccabant. nam in principio ferè nimis exquiſita aut multa cruciabãt ægros inedia, pòſteà uerò plus æquo eoſdem implebant, quos econtrario eodem tempore, ſaltem aliquando, utpote in ſtatu exattenuare decebat.

ET ut plurimum exquiſitè. Interdũ autem eo tempore ex uaſorum inanitione ad ſorbitiones tranſeunt, quo ſæpius à ſorbitionibus ad uaſorum inanitionem tranſire expedit, ſi ita ex morbi exacerbatione contigerit.

GALENVS unicam hanc habet ſentẽtiam, ut ſit talis ſermo, Abſolute, hoc eſt maximè peccant qui ſub ſtatum ab extrema inedia ad ſorbitionem, hoc eſt, ptiſanæ aſſumptionem feſtinant: nam hic contrà etiam ſi quàm maximè

antè

antè conueniebat alimentum, ipsum substrahere oportet. Ego autem non uideo quomodo una sententia esse poterit citra absurditatem, sed in duas distraham particulas, ut talis sit sermo, Et ut plurimũ absolute aut simpliciter quidã peccant, hoc est, minus: nam ita uerbo simpliciter, uti solemus, pro quo nunc interpres noster reddidit exquisitè, fortè Galeni commẽtario persuasus. tales autem in proposito sunt qui fortè inediam mutant in sorbitionem sub augmẽtum, aut concoctionem: quippe multò magis peccant qui toto tempore augmẽti inediam seruant, & deinceps ægris in statu affatim sorbitionem exhibent. atque hæc de prima parte. Secunda uerò, ubi inquit, Interdum autem eo tempore, & cætera. quo loco dubium non est, quin per tempus intelligat statum, idq; duabus de causis coniicio. Primò quia id est præcipuum tempus in quo conuenit inedia. Secundo quia adiicit, Si quidem ita ex morbi exacerbatione contigerit: nam plurima exacerbatio in statu contingit. atque hactenus erratum est à ueteribus: quantum uero ipsi errant recentiores scriptores, alibi deteximus. nam de uulgo eorum, qui hodie faciunt rem medicam, nihil oportet dicere, quando nullũ omnino uictus discrimen faciunt, sed totum ipsis ægris relinquunt.

INTERDVM autem & cruda tum à capite, tum à thorace attrahuntur biliosa, uigiliæq; his accedunt, ob quas non coquitur morbus, tristesq; & amari fiunt, desipiũtq;, incerti, & decurrentes, lucis splendores oculis obiiciuntur, aures implentur sono, friget extrema, urinę crudescũt, sputa tenuia fiũt, salsa colore syncero & exigua, sudores circa collum, anxietates, inquietationesq;, & spiritus intercisus in ea quæ sursum fit aëris latione, frequens aut ualde magnus, supercilia quadantenus amplificantur, deliquia ani

mæ fiunt mala, uestium à pectore reiectiones, manuum tremor, atq; interdum labij inferioris concussio.

MVLTIS modis in hoc loco mihi hallucinari apparet Galenus. Primò quòd hæc incommoda intelligit fieri potius in secunda ęgrorum repletione, quàm in priori inanitione: quippe huic repugnat illud quod dicitur de biliosis, quoniam per importunam repletionem magis exuperant pituitosa quàm biliosa. Secundò multum mihi ab Hippocratis conspectu apparet recedere, quādo biliosa hęc cogitat trahi à uētriculo ad se ab ipso capite, aut thorace, idq; multis modis. Prima mihi coniectura est, quòd in hac sentētia Hippocrates nullo modo uentris meminit. Secūda est, quòd de ijs incommodis, quæ stomacho per inediam accidunt, prius dixit. Tertia est, quòd neque thorax, neque pulmo sedes bilis sit, sed potius pituitę: certè cerebrum omni bili aduersatur, sed fel plurimam continet: quare stomacho per inediā multò facilius erat ex folliculo flauę bilis quàm capite eā attrahere, nō solùm ob eam causam, quia illic est maior copia, uerumetiam quia multò maius compendium: nam neque nisi longis anfractibus & ambagibus ex se potest mittere thoraci alimentum, neque thorax uentriculo suum excrementū. Magis attestatur nostro proposito, quòd ea quæ hic describuntur incommoda, nullo modo ad uentrem attinent, sed ad cerebrum, aut thoracem. Nam uiscera à quibus superfluus humor detrahitur, leuari solent, non autem affligi: ecōtrario enim affligitur id ad quod superfluus humor attrahitur: ita scilicet fluxum choleræ ad stomachum statim sequitur demorsus præcordiorum, nausea, uomitus, oris amaritudo, & alia. At quæ hic describūtur manifestè pertinent aliò: scio quòd ea quæ in uentriculum irruunt, aliquando in caput euadunt, sed si quidem hoc cogitasset Hippocrates, alium ordinem dicendi seruasset, & primum incommoda quæ accidunt uentriculo, deinde ea quę per consensum sequuntur, alibi distulisset. Iam ipse Galenus nequaquam intelligit, quòd hi humores à uentriculo primùm ascendant ad caput, sed quòd à capite, thorace trahuntur ad ipsum uentriculum, ac, si dijs placet, dein-

ceps iterum à uentriculo ad caput,thoracem. Mirum quor ſum aliquando grauiſsimos homines tumultuarius labor rapit,aut perfunctoria commentatio traducit: euenit autem hoc ipſi Galeno,quia leuiter ſatis fertur in ipſum Hippocratem,reſpectu propriorum commentariorum. Sed & alioquin uel optima ingenia aliquando multo labore,rerũ uarietate, aut uario reſpectu diſtorquentur,ſaltẽ nobis apparet ueriſimilius; quòd ea incõmoda quæ hic narrantur, potius ſequantur raptum humorum ad caput,quam uentriculum:non eſt enim ueriſimile quòd multa inedia laborante uniuerſo corpore,ſolus ſtomachus indignetur, ac reliquæ particulæ contentæ exiſtant: nam ut inedia, ita indignatio ad ſingulas particulas pertinet,& deſiderio proprii alimenti unaquæq; trahit ab alia quod poteſt. Sequitur autem potius bilis quàm alius humor,utpote ex natura ſequacior & tenuior.Nec tamen ſola bilis ſequitur,ſed plerunque ſeroſo ſucco permixta, quòd is omnium ſit tenuiſsimus: atq; hac de cauſa non ſemper appellamus bilẽ ſimpliciter,ſed ſanioſam bilem,uel ob eam cauſam, quòd neque ipſa ſimpliciter bilis attrahitur, ſed liquidior ipſius particula.Afficit autem is humor plerunq; & reliquas omnes partes malè & ingratè,ſed alibi eius uitia latent: quippe & inter plebeios peccata obſcura:at quæ à principibus committuntur,ab omnibus conſpiciuntur. Ita & priuatarũ particularum errores obſcuri,uerùm publicarum partium offenſam ſtatim uniuerſum corpus conqueritur. Ita cerebro exiccato & incalfacto, ſtatim immodicę & omnibus manfeſtæ ſuboriuntur uigiliæ: facilè autẽ id patitur ſocietate bilis,quę ad ipſum attrahit.Sæpe autẽ ultra uigilias adducit hallucinationem,ita ut prę oculis uerſentur ſplendores lucis,atque interim quędam rubicunda:fieri enim non poteſt, quin per ipſam bilem ſpiritus quodammodo ignia tur:itaque non tantùm hallucinationes fiunt, ſed ſæpe manifeſti furores, ut ægri incerti ſint quid loquantur, quidue gerant.Neq; hic malè ſeſe continent, aliquãdo etiã ipſum auditum inuadũt (etenim is poſt uiſum ſenſus tenuiſsimus,& ad affectiones maximè opportunus)atque aliquando ex eodem uapore aures implentur ſono,ſępius idem humor linguam & palatum uitiat,& nunc amaritudine,ſæpius ſalſedine inficit,id euenit dum cholerica ſanies miſce-

tur cum pituita, aut etiã serosa superfluitate, quę continuè ex ipsis glandulis uomitur in faucibus, uerùm glandulosæ particulæ per febres exiccantur: id manifestè patet ex ipso uentre. sunt enim & hic quędam glandulosæ partes, quæ uentrem per sanitatem lubricum reddunt, quæ dum tempore febris exiccantur, ipsum quoque uentrem reddunt durissimum. Tanto minus mirandum, quòd vel in ipsis faucibus partes glandulosæ quodammodo torreſiant, neque id longius oportet quęrere, quàm ex ipso sermone. quibusdam enim fauces adeo aridę sunt, ut ęgre sermonem edãt: quidam etiam ob eandem causam deglutire nequeunt: nã humiditas, quę his conferre solebat, exiccata est. Eadem ex causa sputa pauca fiunt: nam in illis duntaxat exuperant, qui multo humido ut pueri, aut frigido ut senes abũdant. Rectè ergo sputis salsis exigua & tenuia adiecit: nã fumosa bilis per se multa esse nequit: ob eandẽ causam colore syncero asscripsit: nam pauca serosa pituita cholerę colorem uix obscurare potest. atque hæc de simplice cholera: nam adusta tum tristes & seueros facit: quippe si exteriores tenebrę in ipso aëre pueris & malè educatis terrorem inducere possunt, multò magis id poterũt interiores tenebrę, utpote spiritus animalis crasso uapore infectus, ac melancholico: ac tot sunt quę raptũ cholerę ad superiora cõcomitant.

Quæ sequuntur, uarie æstimare possumus: nam quędam ex iis partim ad imbecillitatem, partim aliò referri possunt. Exempli gratia, frigiditas extremarum partium nonnunquam euenit, humoribus sursũm latis, aliquando uero iisdem exhaustis. Ne de urinis quidẽ, quas hic crudas ponit, simplex potest esse sermo: fortè enim crudas aquosas ac tenues appellauit, quomodo in Aphorismis scripsit, quod urinæ albæ in febribus acutis pessimæ sint. Hoc putat Galenus fieri, dum cholera à medio corpore rapitur ad superiora, sed parum ibidẽ eius sermo nobis placuit: difficile enim fieri poterit, ut sic tota bilis sursũm rapiatur, ut nulla eius portio supersit, quæ cum urina misceatur aut exeat: hac ratione duntaxat dilutiores euadere possunt. Non credo tamen, quòd Hippocrates nunc huc respexerit. potius crudas biliosas appellauit. nam & bilẽ superexcoctã, crassamq; nunc ipse crudam manifestè nominat: adeò parum in Galeno uersatus est, qui concoctionem solis humoribus nutriẽ-

tibus

tibus nuper concessit. Neque ista uidetur mala commentatio: fieri enim non potest, ut quę antea fuerint biliosa, nunc fiant pituitosa, præsertim per inediam: nã uel in sanis inedia sanguinem magis biliosum reddit. Potuit etiam intelligere urinam crudiorem fieri, hoc est, magis tenuem, & in peiorem colorem euadentem, hoc est, ab ipsa concoctione recedentem. Sequuntur sudores circa collum, possunt autẽ & ii sequi raptum humorũ ad superiora, neque ullum eximium malum amplius arguunt: nam & in sanis frequentiores circa has partes, quàm alias, sudores fiunt, tum quia calidus uapor semper superiora carpit, tum quia hæ partes natura rariores. Est autem ubi hic sudor magnam imbecillitatem sequitur exoluto calore naturali, adeo ut ne proprium quidem alimentum, quod rorem appellant, partes retinere ualeant: atque id profecto est perniciosissimum: nam ut frequenter sine periculo uenter, intestina, suam saburram reiiciant, raro tamen æger euadit, ubi priuatæ particulæ ne ꝓprium quidẽ alimentũ demittunt. Proditur aũt hæc imbecillitas prius circa caput quàm alibi, quòd hæ partes, ut prius diximus, sunt excarnes, ac admodũ raræ. Ex eadem imbecillitate sæpe naturæ euenit anxietas, hoc est, ut ipse exponit, inquietudo: id accidit quando ægri nullum locum seruant, sed nunc in dextrum, nunc in sinistrum latus, aliquando in pedes, aliquando in caput sese iactant, lecto desiliunt, cubile mutant, nusquam quietem inueniunt, quia laborem suum secum circunferunt: nã quod sanis & benè ualentibus contingit, ut spatio aliquot horarum in uno latere fatigati decubitum mutent, atq; in alterũ latus se conuertant, & nunc pedes extendant, nunc post aliquot horas contrahant, id ipsis euenit singulis momentis, utpote quibus præ imbecillitate proprium corpus molestum est, & quiuis motus uel minimus lassitudinem parit, tanto minus est mirum, quòd uestes à pectore reiiciant. Scio quòd Galenus hoc symptoma ad magnitudinem referat æstus, & ferri potest. Veruntamen Hippocrates ipse huc minimè respexisse apparet: nam præcipuè de iis incommodis uidetur disserere, quæ longam inediam sequuntur: atqui id nihilominus probè nutritis quàm inanitis accidit: ꝙ si ob eã causã acciderit, nec ipsum quicq̃ admodũ graue existit. Est autem periculosissimum, ubi uirtutis imbecillitatem se

quitur

quitur, distinguet manus pectori iniecta: nam licet aliquan do ita euenit, ut in febribus ardentibus extrema frigeant, & interiora caleant, semper tamen æstus sese prodit in ip sis pręcordiis, utpote quo calor totus retrahitur: atque hęc forte causa est, cur potius pectus ægri, quàm reliquas par tes denudent: quanquam neque ex æquo illis promptum est, vt pectus, ita reliquas partes detegere. Idem distinguit ipse spiritus ex naribus aut ore manibus exceptus: nam u- bi æstus est in causa, efflatur quasi fumus, in debilitate uerò multa propemodum exit frigidus: hæc ergo potius imbe- cillitatem quàm quiduis aliud arguunt, atque adeo imbe cillitatem virtutis animalis & uitalis. Idem indicant animi deliquia, utpote quę sępe anxietates prędictas insequũtur, & ferè sola magnitudine à sese inuicem differunt. Possunt autem vel animi deliquia fieri ob magnam cordis calidita tem, quæ per se ratione febris efferuęscit, maximè verò quando cholera ad loca thoracis, hoc est, ipsum cor rapi- tur, tunc quoq; maximè fient, quæ postea ascripsit, sympto mata, spiritus intercisus, frequens ac magnus. Verùm ne hunc quidem locum leuiter prętereire, oportet, uel propter ipsius Galeni commẽtum, qui longe aliam rationem harũ rerum subnectit, quàm nos recipimus: ipsę enim existimat, quòd ista nequaquam fiũnt inanitis, sed iam ab inanitione immodice repletis. atque id equidem uehementer demi- ror: nam quamuis inueniantur qui ab inanitione diuturna, ægris plenius alimentum exhibẽt, nunquam tamen eos da bis qui illos vsq; ad difficultatem spirandi impleant: nam vt quàm maximè uellent medici, nunquam tolerabũt ægri. Idipsum duntaxat sanis euenit immodice uoracibus, atque operam crapulæ dantibus. Iam ut hæc saturitas frequẽtem pulsum facit & altum, non tamen magnum, multò minus intercisum, interruptum, offendentem, aut dúplicem, in his dephrehendes: nam omnibus his nominibus pro eadem re utimur. Fit autem quum unica uice spiritum non perfici- mus, sed in medio subsistimus: atq; esto quòd hac de causa spiritus aliquando interrumpatur, non est tamen uerisi- mile ipsum nunc cogitasse Hippocratem, quia hoc signum nequaquam inter perniciosa signa numerari debet, qualia nunc sola Hippocrates recenset. Denique & hoc ipsum Galenus dissimulauit: quare nunc expirationem notet, quĩ

in

in aliis locis potius inſpirationi timere uidetur. fuit enim illi ſatis, quòd in aliis locis animaduertit in inſpirationē. ſed de hac re nunc ſtatim poſteà: quippe prius in genere cauſam ſpiritus intercepti oportet querere. Nec erit diffi cile eam inuenire ex aliis locis, ubi Hippocrates duplicis inſpirationis meminit: ibidē enim ipſe Galenus eius cauſam, aut dolorem, aut ſiccitatem conuulſioni proximam fecit: idem & ego nunc exiſtimo: nam multá ſiccitas ipſum muſculum reddit rigidiorem, ſaltem ad motum pauló ſegniorem, præſertim ubi uirtus eſt debilis, utrunque contin git per diuturnam inediam. Videtur autem natura pauló difficilius inſpirationem, quàm expirationem facere, adeo ut quidam ex ueteribus contractionem arteriæ & pectoris merè naturalem putarent. fateor commentum ipſorum falſum eſſe, uerũtamen ex eó facilè unuſquiſque colliget, quòd inſpiratio naturæ pauló ſit operoſior, quàm expiratio, atque hac de cauſa mihi apparet quòd Hippocrates ſę pius notarit difficultatem inſpirationis, quàm expirationis. tantò minus ego ſcio quid hic illi in mentem uenerit, ut nunc potius offenſam expirationis timeret, & niſi Gale nus hunc locum ad expirationem retuliſſet, ego ob prædi ctos locos mallē hanc ſententiam ad inſpirationem, quàm expirationem referre, quòd in inſpiratione pectus ſurſum mouetur. Scio iuxta hanc intepretationem aliquo modo diſtorqueri ſignificatus: ſed ego mallem ubique uiolare conſuetam ſignificationem ipſorum nominum, quàm ueri tatem ipſius ſententiæ. Ita & nunc in hoc loco faciam, donec cui iſta noſtra commentatio diſplicuerit, rationem mihi expoſuerit, quare Hippocrates hic potius quàm alibi expirationem pro inſpiratione offenſam deprehenderit. Poteſt etiam ſubito ſuboriri hæc ſpirandi difficultas, humoribus ad caput aut præcordia ſublatis: nam in commentariis de Criſibus ſatis clarè oſtendimus, quòd raptum humorum ad ſuperiora, plerunque concomitetur, quia multitudine diſtenti muſculi ægrè motui obtemperant. Ad difficultatem ſpirandi accedunt ſuperciliorum amplificationes, hoc eſt, palpebrarum demiſsiones, quando palpebræ non omnino committuntur, aut rurſus penitus ſuſpenduntur, ſed medio modo deducuntur. Maxime autem id euenit in dormientibus, aliquando etiam in uigilantibus. Ga-

f lenus

lenus causas uarias eius rei habet, aliquando alterius musculi, quippe contrahentis laxationem, aliquando alterius, utpote intendentis aut extendentis conuulsionem: & reuera unumquodque istorum in causa esse potest: nam solu to cōtrahēte necessum est, ut ultrò palpebrę decidāt, sed & conuulso extendente, statim pręter consuetudinem demit tūtur, quòd conuulsio partem eodem moueat, quo ipsa uir tus animalis: non tamen solo musculo contrahente omni no conuulso palpebra decidet, sed contra omnino suspen detur: uerùm ambobus conuulsis contrarii fient motus, ut neque omnino contrahi, neque omnino extendi supercilia poterint: & quidem ea omnino demitti in uigilantibus non conuenit, sed maximè idipsum suspicitur in dormien tibus, quòd in his naturaliter clauduntur: uerùm aliquando obstat siccitas musculi, propter quam periclitatur conuelli: atque hic uel in uigilantibus ægrè clauduntur. Aliquando idipsum euenit propter solam imbecillitatē musculi intendentis: & hoc symptoma magis depræhenditur in dormientibus, quòd in dormientibus uirtus animalis se gnior sit quàm in uigilantibus. Idem nunc puto cogitasse Hippocratem, quomodo in aphorismis ac prognosticis præcepit, ut obseruentur in ægris dormientibus oculorum suspectiones, si quid album subappareat. Tantum nomen ampliationis refragari apparet, ut quod magis extensionem quàm contractionem significat. fortè eo allusit, quòd huiusmodi homines uigilare apparent, & præter consuetu dinem uigilantium extentas palpebras, & uelut amplificationes superciliorum ostēdant. De reliquis duobus symptomatibus, atque adeo postremis quid faciam, nescio. Galenus ualde breuiter ea perstringit, atq; tremorem manuū ad magnum æstum refert. Neq; ego diffiteri possum, quin aliquando caliditas, ut frigiditas animalē facultatem offē dat: nam frigiditas spiritum animalem extinguit, caliditas uerò dissoluit. Sed ne hoc quidē symptoma perniciosum existit, duntaxat ubi imbecillitatem ex siccitate sequitur, qualis per longā inediam facile cōmittitur: ita & labri cōmotio, ut oculorum, ex eadem imbecillitate fieri potest, non sine magno ægrotantis discrimine: quoniā omnis ma gnus casus qui siccitatē sequitur, ferè mortalis existit. Gale. per consensum uentriculi euenire putat, propter commu-

mitatem membranæ,quippe morſo uentriculo ferè labrum inferius commouetur, & ut alibi oſtenſum eſt, uomitum futurum ſignificat. Huc uidetur ſpectaſſe Hippocrates,qui in ſequẽti particula dixit huiuſmodi ægros īterire, aut per abſceſſum, aut aliquam ex eruptionibus ſuperioribus per nares, aut per ſcreationem euadere:nam quę ex his imbecillitatem ſequuntur,ægrum moriturum,quę uerò commotiones ad ſuperiora, criſim per ſuperiora pronuntiant: nā quę feruntur ad caput, per nares in ſalubribus erumpunt, quæ uerò ad loca thoracis,pręſertim pulmonem,per ſcreatum ac tuſsim exeunt. Sed neq; id rurſum eſt impoſsibile aut abſurdum,ut humoribus ad caput deorſum aſcendentibus,tremor manuum fiat, aut concuſsio labri inferioris: cholera enim mordax eſt, & aliquādo obiter in partes ſenſibiles ac medias excutitur:atq; hic ſepe partes,atque adeo uniuerſum corpus cõcutitur, quia ſine indignatione à tali humore partes ſenſibiles perſtringi nõ poſſunt. Huc fortè reſpexit Hippocrates in aphoriſmis, ubi ait, quòd tremores delirio ſoluũtur:nam ſublata materia, ac iam quieſcente,mordicationes deſinunt.Scio quòd paulò aliter in aphoriſmis noſtris diximus, ſed nunc non diſplicet nobis ipſa cõmentatio:nam ſi rectè memini, & ibidem quoq; à nobis dictum eſt,quòd omnibus uidentibus ſępe tremores & contractiones manuum delirium antecedunt. Videte ergo in hoc uno loco quàm multa Galeni ipſius commentarius adhuc deſideret.

HAEC ſi ab initio apparuerint, deliriũ graue,uehemensq; indicant: atque ut plurimum ægri moriuntur.

DVPLEX erat antea natura ſignorum,altera eorum pars pertinebat ad loca thoracis,atque hæc neque ſemper, neque per ſe, ſed per accidens minantur delirium, dum materię ſublatę ad pectus,aliqua eius pars obiter aut certè fumus ferit caput. Alia declarabant motum ad caput,atq; hæc per ſe,aut delirium, aut criſim aliquā ſuperiorē, ſæpe utrunque prenunciant,& delirium quidem ſemper, criſim non niſi aliquando, hoc eſt, ubi potius naturæ motum atq; impetum, quàm partium ſuperiorum attractum(qualis in diuturna ſolet fieri inedia)ſequuntur,ſed & ex precedenti

quoque inedia distinguũtur:uerùm an inedia crisim citare potest,alius uiderit:ego profectò nõ detrectabo ita assere re,quãdo & multi alij errores crisim accelerant, & rursum differunt: nam & plenius alimentum sępe malam crisim precipitauit,aut bonam distulit.Neutro igitur casu deliriũ bono esse potest: nam ut simplex delirium per se malum symptoma est, & crisis plerunque in principio interficit, sicuti in augmento facta,recidiuam pręsagit.

QVI autem euadunt,hi uel cum apostemate,uel sanguinis è naribus fluxione, uel puris crassi excreatione euadunt, neque aliter.

NON semper crisis in principio interficit,sępe natura tolerat,donec secunda crisis postea succedat:uerùm plerũque impotentior est,quàm ut simpliciter euacuet,sæpius in abscessum morbũ trãsmutat,& tamẽ euacuat, aliquãdo per nares quidẽ,ubi humores ad caput euadunt:per screationẽ uerò magis,quando in pectore maior pars substitit.per sudorem certè,aut uentrem horum morborum crisis fieri ne quit.

NEQVE sane horum ita peritos uideo medicos, qui ut oportet,dignoscãt eas,quæ in morbis contingunt uirium infirmitates, & quę ob uasorum inanitionem, & quæ ob aliam quampiam iritationem,& quæ ob laborẽ,& quæ ob morbi acumẽ fiant,quas itẽ natura nostra habitusq; singulis affectuum species omnigenas fabrefaciat,quamuis cognitę salutem,& mortem ignoratæ adferãt.

ETIAM uulgus debilem ęgrum à robusto potest distinguere,uerùm medicus eius causas debet internoscere: non enim sola inanitio ægrum debilitat, aliquando etiam ipsa plenitudo,& sunt manifesta discrimina. Hic enim cor pus subtumidum,aut certè liberale , illic autem aridum & squalidum

ſqualidum:intelligo autem per inanitionem non tantùm inediam, ſed & omnem aliam euacuationem: aliquando importunum aut malignum medicamentum in cauſa eſt, quòd alium humorem, licet modicũ, ducit quàm debet: atque hoc eſt quod forte Hippocrates per irritationem indicauit. Sępius dolor eſt in cauſa: nam omnis dolor exanimare poteſt, pręſertim uentriculi, nec dolor tantùm, ſed & omnia alia grauia accidentia: hac de cauſa ęgri frequentius in morbi acumine, hoc eſt, uigore, deficiunt animo, ſunt enim hic accidentia omninò ſæuiſsima. Aliquando etiam iſta ad naturam morbi, aut loci affecti attinent: nam ut morbi in hepate morantur, ita in corde ſubito interficiunt, in cerebro uerò plerique ſenſum & intellectum adimunt: ſic ſtrangulatio ex utero mulierem quodãmodo ſtatim exanimat: idem facit ſæpe affectus ſtomachi, frequẽtius affectus ipſius cordis: adijcimus quòd & habitus corporis multam adfert diuerſitatem. omnia ergo hęc inuicẽ oportet diſtinguere, quòd pro diuerſitate cauſarum ipſarũ uariet procuratio, & præcognitio.

1. MAIVS ſiquidem malum eſt, ſi ob laborem, morbiq; acumen, debilitato porrexerit quis potum, uel ſorbitionem copioſiorem, uel cibum, debilitatẽ eam ex uaſorum inanitione contigiſſe arbitratus. Neque calumniam effugere poteſt, qui ægrè ualentem ex uaſorum inanitione non cognoſcit, torquetq; uictus genere: periculũ ſiquidẽ affert aliquod erratum hoc, ſed lõgè minus quàm alterum, atque riſu dignus magis quàm alter hic error: nam ſi medicus alius, uel plebeius ægrum interuiſerit, cognoueritq; ea quæ cõtigerunt, dederit tum edendum, tum bibendum quod alter uetuerit, is præſidium manifeſtè attuliſſe exiſtimabitur: talia autem maxime

ximè si artifices commiserint, uulgo uitupe-rantur: nam ipsi qui ægrum interuisit, uel medicus uel plebeius, ueluti à mortuis suscitasse uidetur.

IMBECILLITAS ex morbi magnitudine, aut multo dolore nata, recreatur medicamentis mitigantibus, quo casu sæpe oportet morbum dissimulare, & solis accidentibus incumbere: fere autem per cibum exasperantur magis, saltem plerunque tenuius alimentum requirunt: econtrario inedia paulò plenius: sæpe utrobiq; peccatur: & est prior error, asserente Hippocr. multo periculosior. Miror quòd Galenus causam omiserit, mihi latere apparent in comparatione morborum, quòd morbi acuti plerunque constantes uires habent, quocirca multo magis peccat, qui in plenius, quàm tenuius declinat.

SCRIBEMVS autem & horum notas, quibus singula dignosci possunt.

E T nos quoq; paulò antè uniuersalem distinguendorū rationem perstrinximus.

SIMILIA porrò his quæ uentriculo contingunt, hæc etiam sunt: nā si corpus totum præter consuetudinem otiatum fuerit, non cōfestim robustum magis euadet: quòd si diutius otiatum, ad labores sese repētè uerterit, uile profectò quippiam euidenter operabitur. Ita autem & de cæteris corporis partibus est existimādum, nempe & pedes talia quippiam operabuntur, atque alij articuli laborare non consueti, si longo pòst interuallo ad laborem sese uertant: hoc patiētur oculi & dentes, & quicquid huiusmodi est: pręterea & cubile præter consuetudinem & molle

molle & durum laborem facit, cubile sub diuo præter solitum corpus indurat.

QVICVNQVE rem aliquam longo uolumine describit, aut etiam breuem disputationem init, ordine quodã omnem narrationem facere debet, secundùm quem primum expectet secundum, & rursum tertium excipiat secundum. Verùm ut qui ædificant, primùm lapides congerunt, postea in murum digerunt, ita sæpe scriptores primo aliquod rudimentum faciunt, & tandem singulis legitimum ordinem statuũt: sed aliquãdo mors interuenit, priusquam recensere aut digerere possint: atque hęc est causa quare ueterum opera aliquando appareant peruersa: ita & nunc suspicatur Galenus in fine huius libri: nam certũ est quòd ea quę hic dicuntur, potius conueniebant cum his quę antea scripta sunt: oportebat enim quæcũq; de mutatione dicere uolebat, eodem loco conscribere, ac ijs quę dixit de insolentia uentriculi, aliarum partium, atque adeo totius corporis molestiã, ex cõmutatione cõsuetudinis adijcere: non enim solus uentriculus subitam cibi mutationem in qualitate aut quantitate, uerùm & partes, & totum corpus commutatam rationem exercitij ægrè ferunt. Neque enim multum itineris faciet uno die, qui sedetariæ uitæ assuetus est, neque admodum poterit fodere qui solitus est manib⁹ parcere. Sed & tyrannis illius sępe audita est, qui captiuos lõgo tempore in tenebris abditos, in subitam lucem reuocauit, quos excæcare uoluit. De dentibus miror ab Hippocrate appositum exemplum, tam rara est in his insolentia. quòd si singulę partes ipsam ægrè ferant insolentiam, non est dubitandum, quin totum corpus feret difficilimè: neq; enim assuetum multo otio, subitum idoneum aut promptũ erit ad uehementia exercitia: neq; in his solis continetur mutatio consuetudinis, sed & in cubilibus. uerũ de ijs ante dictũ est. Ecquid ergo mirũ est, ꝙ is qui sub tecto molliter dormire solet, nunc in castris sub diuo magis induratur? nã aër nocturnus infrigidat, atque hactenus licet humidus, exiccat.

SED horum omnium exempla scribere satis fuerit: nam si quis ulcus neque admo-

dum insigne, neque ualde uile in tibia acceperit, fueritq; homo, cui neq; admodum difficulter, neq; ualde promptè ulcera sanantur, & prima protinus die ita iacens curetur, ut nequaquam crus extollat: hoc sane pacto sine inflãmatione manebit, citiusq; sanitati restituet, quàm si oberrans curaretur. Quòd si uel quinto, uel sexto, uel superiore adhuc die surrexerit, atq; obambulare uoluerit, magis laborabit, quàm si ab initio errans curatus fuisset. Porrò si & multum, & repente se fatigauerit, multò magis laborabit, quàm si ita curatus in diebus ijsdem sese lassum & defatigatum reddiderit.

PARTES sanas obscurius uiolat mutatio consuetudinis, quàm ægras, & rursum parũ affectas minus, quàm multũ affectas maximè: adeò ego miror Galenum paulò post principium commenti eam dubitationem dignatum fuisse. Igitur soli ii mediocriter offenduntur, qui mediocriter læsi sunt. Inter mediocres affectus est ulcus in tibia, neque admodum uile, neque admodum insigne, hoc est, mediocre, ac si dicas, neque magnum, neque paruum: & quidem parua ulcera, non obstante mediocri errore, facilè coalescunt: magna uerò etiam citra omnem errorem ægrè: ita quidã sunt, qui uel ex paruis ulceribus sanari nequeunt, ut quibus habitus est uitiatus: rursum quibus habitus plenior & liberalior, etiam per se contemptis erroribus ferè sanantur. Hæc est causa quare Hippo. medium habitũ atq; affectũ accepit, atq; hactenus nulla est difficultas: certum & hoc est, quòd optimum sit particulam læsam feriari usq; ad perfectam curationem. Verùm quòd hæc ipsa ulcera in tibia, tam paruos quàm magnos motus melius ferãt in principio, quàm post multam quietem, est admirabile, donec hoc cognouerimus

mus, quòd per longã quietem musculi rigidiores quodam modo euadunt, & ad omnẽ motũ ineptiores, adeò ut postea non nisi magnis uiribus atque irritamentis obiri possunt: quocirca tam magnus quàm paruus error multo minus offendit in principio, quàm postremo: ausim tamẽ hic in uulneribus ipsis excipere primum diem: nam si quis statim fatiget, periculum fluxus sanguinis imminet, sed id per accidens est: adde quòd nunc potius ulceris Hippocrates, quàm uulneris recentis meminit.

OMNIA igitur hæc inter se subitam omnem supra modum huc & illuc mutationẽ nocumentum inferre perpetuò testantur.

EX multis particularibus rectè colligit dignitatem uniuersalem.

MVLTO itaque maior in uentre est læsio, si ex multa uasorum inanitione repentè quid plus iusto ingeratur. Similiter si reliquum corpus diutius otiatum subito ad laborem uehementiorem sese uerterit, multò magis lædetur, quàm si ex multo cibo ad uasorum inanitionem transferatur. Corpus re uera his cessare oportet, & si ex multa fatigatione, subito ad otium ignauiamq; desciuerit: oportet & illis uentrem à ciborũ cessare multitudine, alioqui læsio in corpore fiet, corpusq; totum grauabitur.

VTRINQVE subita in contrarium mutatio nocet, sed magis ex multa inedia, multa repletio, quàm ex multa repletione, multa inanitio: scio quòd sani, & morbo longo affecti ęgrius ferant errorem in tenuitate, quàm plenitudine: sed de subita cõmutatione nobis est sermo propositus; causa est in promptu, quia uires per inediam fractę sub pleniori alimento necessum est ut succumbant: uerùm multo

alimento anteà suffultę, non solùm non ægrè inediam ferunt, sed aliquando expostulant: ita magis affligitur qui à quiete subita ad multum laborem, quàm qui à multo labore ad multam quietem & otium sese traduxerit: nam prior mutatio subito uires exoluit, posterior uerò duntaxat quædam excrementa colligit. Sed & hoc facilè uitari potest, modo tantum detrahatur alimento, quantum imminutum est exercitium. Non est dubium quin hęc fuerit mens ipsius Hippocratis, uerùm tota dictio in principio est uitiata: nã altera pars quę de mutatione laboris & quietis est, alteram partẽ desiderat: & altera pars quæ multũ cibũ in multã inediam conuertit, cum priori coniungi debet; ut sic constet sermo, Multò magis lędit multa repletio ex multa inanitione, quàm multa inanitio ex multa repletione: ita magis rursum offendit multus labor ex multa quiete, quàm multa quies post multum laborem: sed & facilior huius mali cõparatio, ut hoc ipsum corpus minus ingerat, quàm consueuit. Verùm & hanc partem Galenus in commento (nescio quomodo) obscurat, quando unum & idem quasi diuersum repetit, & malè ad hunc aphorismum, ubi fame laborandum non est, alludit. Suspicor & hic commentum esse uitiatum, & tale fuisse ab initio scriptum, Qui ex crapula in inediam transeunt, toto corpore quiescendum: quoniam ubi fame laborandum non est, sed qui ex fatigatione multa in quietem multam conuertuntur, hic alimentum parumper substrahendum, ut hic uetriculus quiescat, quemadmodum illic uniuersum corpus. Quòd si ita commẽtum castigare liceat, decebit & in ipsa setentia similem fere scripturam facere, ut sic dicatur, Atque hic reuera scilicet, ubi à multo cibo ad multã inediam fit demutatio, corpus totum cessare oportet, quemadmodũ ubi ex multa fatigatione quis subito ad otium transfertur, pauciora oportet ingerere.

DE mutatione quę in hæc uel illa fit, plurima sum loquutus, ꝙ reuera hæc uenisse cõmodũ sit, cùm ad omnia, tum ad id de quo nunc agitur: nempe quòd in morbis acutis ex uasorũ inanitione, ad sorbitiones transi-

tur: transeundum quidem pręcipio ego, sed sorbitionibus haudquaquam utendum, priusquam morbus ad maturitatem perductus fuerit, aut signum aliquod aliud apparuerit, ut in intestinis uacuatorium, uel proritatorium, uel qualia in hypochondrijs scribentur signa.

NON negat quin ex inanitionibus aliquando sit ad sorbitiones transeundum, sed paulatim id cupit fieri: id autem fiet, si inanitionem paucorum dierum excipiat aqua mulsa, mulsam uerò cremor ptisanę, ptisanæ cremorē tandē ipsa ptisana: tandem dico, hoc est, in augmento, quū morbus concoqui cœperit. Adiicit Hippocrates, Aut signū aliquod aliud apparuerit, ut in intestinis euacuatorium, uel proritatorium, uel qualia in hypochondrijs scribentur signa, quorum unumquodq; Galenus seorsum accipit: uacuatorium intelligit, ubi uacuatio per uentrem exercet: irritatorium, ubi dolor aliquis fatigat: magis est extranea coniectura, ubi per signa in hypochondriis magnam siccitatem & colliquationem intelligit. Non nego quin in omni uirtutis deiectione quacunque ex causa accesserit, uirtuti per alimentum succurrēdum sit, uerùm Hippocrates his omnibus uerbis unum mihi uentris affectum, hoc est, inanem ipsius conatū medicari apparet: nam iuxta quod ipse alibi scripsit, quò natura uergit, eò ducere conuenit: ita hic ubi uenter turgere incipit, aut intestina stimulari, aut secundùm ea quę alibi animaduertit, tormina fiāt, lumborum dolor, &c. naturæ adnitendum est, maximè post morbi concoctionem. fiet autem id commodissimè, non quidem magnis & grauibus remediis, sed paruis, qualis est ipsa ptisana: nam uel hęc satis leuiter uentrem radit, & abstergit, atq; hęc quidem mea est cōiectura. quòd si quis Galenum sequi malit, non laboro.

FORTIS uigilia, potus ciboſq; tum crudos, tum incoctiores reddit; uerùm ea

quæ in alia fit trāsmutatio, corpus dissoluit, excoctionemq́; & capitis grauitatem parit.

QVOD magna preter consuetudinem uigilia concoctionem alimenti moratur, omnibus in confesso est, quia solus calor in internis uisceribus concoctionem obit, quē foras uigilia distrahit: ueruntamen longa uigilia, cibo cōcocto digerit, exiccat, incalfacit, paucis uniuersum corpus insigniter biliosum reddit. Id satis rectè Hippocrates reddidit, duntaxat in somno obliquum, ut mihi apparet, sermonem scripsit, ubi inquit, Corpus dissoluit &c. nam contra magis decorè dixisset, excoctionem facit, corpus dissoluit, & capitis grauitatē parit: quippe ut uigilia solito prolixior cruditatem, ita somnus solito longior excoctionem facit. Videtur & hic Galenus, nescio quid alienum per excoctionem intelligere, quum certum sit, quòd ipse Hippocrates per excoctionem nihil aliud quàm cruditatis contrarium, hoc est, superfluam alimenti concoctionem cogitat: non enim poterit immodica uigilia concoctionem impedire, & longior somnus mediocritatem concoctionis tenere. Ex eo autem quòd somnus superfluam excoctionem molitur, fere fit ut corpus exoluatur, & flaccescat: non quidem ut Galenus putat, quia corpus excrementis replet, sed potius, quia calor naturalis longioris somni spatio, ubi alimentum percoxit, ipsum sanguinem, & præcipuè spiritum in interioribus dissoluit, in quo uirtus nostra consistit. Scio quòd Galenus in hoc loco per somnum, spiritum, & reliqua effluuia cohibet, & econtrario de ipsa uigilia asseuerat, uerùm hic ipse Galenus de externo effluuio loquitur, quòd in corporis habitu sedet, aut spargitur: ita & somnus omnem excretionem uulgo retinet, & tamen sudorem mouet: quippe corporum dispositiones oportet distinguere, quippe quæ ueterum humorū saburram habent in profundo corporis collectam, aut ex recenti alimento contractam, hæc facile tempore somni sudore profluūt. Sunt aliæ quæ nulla insigni copia onerantur, sed duntaxat quotidianum habent in corporis habitu excrementum diffusum, & hæc corpora magis resoluit uigilia: nam uigilia exteriora, somnus uerò interiora magis coquit & expurgat, quòd tēpore uigiliæ in exterioribus, tempore uerò somni in interioribus

rioribus calor naturalis magis ualeat. Dixi autem prius simpliciter uigilia: nam multum exercitium tempore uigiliæ nihilo segnius, quàm somnus ex profundo sudorem fundit, & hæc de somno prolixiore uno die aut altero: nam qui per multum dierum ac noctium spatium durat, successu longioris temporis non solùm corpus excrementis, uel interioribus non exonerat, sed magis onerat ac grauat. Ratio est, quia calor naturalis spatio temporis non minus contabescit citra exercitium, quàm modica flammula citra motum. Idem testatur experientia: nam ut homines à somno breuiori, atque adeo interrupto pandiculantur, oscitant, ita ferè ii, qui longo tẽpore longiori somno assueuerunt, sed contrariis ex causis: nam in iis qui breuius dormiunt, natura ex profundo corporis excrementa leuat, non autem dissipat: in iis uerò qui prolixiori somno ex cõsuetudine dediti sunt, natura plura generat, quàm dissipat. Idem aliquando euenit uel unico somno, sed prolixissimo. Quæ ergo excremẽta somnus retinet, & quæ rursum excernit, dictum est satis: nam interiora leuat, exteriora retinet. quia uerò nusquam plura colliguntur, quàm in capite, hac de causa nunc potius capitis, quàm aliarum partium meminit, neq; nunc ex nobis rationem quæres, quare mediocris somnus potius excrementa, quàm spiritū & sanguinem dissoluat: ubiq; enim natura operatur pro ratione sui obiecti, idq; à principio. nam tandem ne ab aliis quidẽ abstinet, sed rursum longo tẽpore exoluta noua excrementa ex quotidiano alimento in corpore colligit. Nouissime ergo illud solum nobis dicendum restat, ecquid Galenus hanc excoctionem aut resolutionem calidę humiditati tribuit: nam ex iis quæ diximus, constat quòd natura longiore somno nõ solùm calido non excellit, sed multæ frigiditati obnoxia sit: nunquid ergo ob eam causam hoc solum dixit, quia omnis resolutio à calore fit. Ita & humidam caliditatem nunc per accidens uocauit, quia humiditas caliditati coniuncta existit. Verum in hoc loco parum ad resolutionem conducit

HIPPOCRATIS DE RATIONE VICTVS IN MOR. ACVTIS, LIBER III.



QVIBVS autem uinum dulce, uinoſumq́; & albũ, & nigrum, melicratumq́;, & aqua, & oxymeli in morbis acutis imperentur, diſtinguere oportet.

NON ſemper ueteres in uno & eodem loco totam rerum differentiam perſcribunt, ſatis iis eſt, quòd in ſequentibus locis nihil earum omittant. Melior ergo eſt Galeni in fine commenti excuſatio, quàm in principio eiuſdem accuſatio, uel ob eam cauſam, quòd differentiæ ab odore ualdè accidentales exiſtant, & authores non niſi maximè propriàs reſpiciant. forſitan etiã paucis uerbis omnes inſinuauit: nam qui dulce uinum diſtinguit, & reliquas à ſapore differentias uidetur cogitare: uinoſum uerò ad uirtutem pertinet, albũ & nigrum nihilo minus quàm odorum accidẽtale exiſtit: uerùm uulgarior hęc eſt definitio, & ſubſtãtię etiã quodammodo nos admonet, quòd nigra uina fere craſſa, alba tenuia. De odore ipſe dixit, quòd non quidem per ſe, ſed per accidẽs lędit aut offendit, quatenus odora aut inodora diuerſam uirtutem aut ſubſtãtiam indicant: ac fortaſſis de colore certus eſt ſermo, ſed de odore paulo durior: etenim is uel per ſe afficere apparet nõ ſolum priores uẽtriculos, ſed uniuerſum caput, nequaquam tamen aut uetriculum, aut hepar, ac reliquas particulas, ut ſapor afficit: atq; hoc eſt quod nunc forſitan Galenus reſpexit. Sed age iuxta eum, nunc omnes uinorum exequamur differentias, nõ quidem per ſe, ſed ut illorum uirtutem rectè teneamus: nã hęc ſola eſt cauſa, quare earũm diſcrimina petimus. Prima ergo differentia à uirtute ſumitur: etenim aliud uinum, meracum & uinoſum, aliud tenue & infirmum, aliud rurſum

exqui

exquisite medium,aliud rursum parum, sed ad hoc aut illud extremum magis incumbens: ita enim & in aliis omnibus fere media uariant:dulce autem cum uinoso neque cõtrarii neque medii ullam rationem obtinet,tanto est mirabilius,quòd Hippocrates ista coniunxerit, qui in sequentibus contrariorum rationem habuerit.aut certe uinosum (relicta Galeni expositione) aliter audire oporteret, pro eo quod potius multam uini qualitatem, quàm dulcedinẽ exhiberet:est enim quibusdam uinis peculiaris,tamẽ inexplicabilis sapor:atque hęc alius uiderit, nos interim Galeni expositionem sequuti,uinoso aquosum opponimus,hoc est,firmo infirmum,potenti impotẽs:dulcia uero in medio amarorum & fatuorum collocamus,quãuis uel hic difficile sit ipsa extrema contraria dare: neque enim facile dices an fatuum & amarum,an potius fatuum & acidum sint extrema: atqui ego acidum inter media collocare malo, ita astringẽs & acerbum acre. Scio quòd Galenus aliter facit, sequatur qui uelit,tamen si diligenter respexeris,nullus sapor magis ad medium pertinere apparet,quàm dulcis:quoniam ut alibi ab altero extremorum,ad alterum uenire nemo possit nisi per medium, ita pleraque ex ijs quę insipida sunt,prius fiunt dulcia quàm amara:& econtrario amara prius dulcia, quàm insipida: sed hęc logicis relinquimus, ac physicis, nos ad nostras differentias properamus, quarũ tertia sumitur à substantia:quoniam alia crassa sunt, alia tenuia,alia uariè ad medium pertinentia. Coloris differentiæ omnibus notę.Ita & odor in uino sua discrimina ostẽdit: nã alia uehementer odora,alia ignaua,alia medio modo affecta.Quomodo autem singulæ differentię proueniant, nequaquam ad hunc locum pertinet, sed ad libros quinque de medicamentorum facultatibus, ubi unicuique suam facultatem attributam uidebis:idem tamen & his pręsertim sparsim fiet locis. Possemus adijcere sextam ex ętate differentiam, sed rectè Galenus eam reijcit, quia per se nihil facit,nisi quatenus colorem,saporem, substãtiam mutet.pręstat ergo deinceps singulorũ ex ipso Hippocrate audire uires.

VINVM dulce uinoso minus caput grauat, minusq; mentẽ ferit, atq; quàm alterũ

magis

magis deiectoria quadam pollet in intestinis facultate, sed lienem heparq; tum farcit, picrocholiq; nullo pacto idoneum: nempe & his sitim facit, superiusq; inflat intestinũ, non tamẽ inferiori pro ratione flatus est inimicũ, etsi non admodum penetret, qui à dulci uino est flatus, sed circa hypochondria cunctetur.

FORTE fuisset liberalior sermo, si prius in uniuersũ scripsisset Hippocr. quibus morbis uinum in genere competeret, & in quibus rursum officeret. nec est difficile dictu: nam in morbis frigidis plerunq;, in calidis autẽ rarò, & tamen aliquando, utpote in quibus urget, magis materię cruditas, uiscositas, quàm morbi caliditas. Sic in febribus quartanis, quotidianis, etiam ante concoctionem indulgetur, ita in tertianis illegitimis. Verùm in exquisitis non nisi in augmento utiliter assumitur, multò minus in acutis morbis ante concoctionem permittitur: nam posteà utiliter paulatim per urinam quod putridum est, expurgat. Atque hactenus in genere: nunc audiamus quid in morbis unum quodque potest in specie. Dulce, inquit Hippocrates, minus grauat caput, quàm uinosum. Mirabilis comparatio: nemo enim libenter diceret, aut etiamdum grate audiret, quòd uinum rubrum magis offendit quàm crassum, uinòsum, dulce, aut inodorum. Sed contraria solemus comparare contrariis. Melius est ergo uinosum nequaquam simpliciter audire scilicet potens uinum, sed cum eo quod eximiè referat uini saporem: habet enim uinum sibi peculiarem. minimè autem reddit uinum album ac dulce, de quo nunc Hippocrates loqui apparet, ut est conijcere ex sequentibus sententiis. Sed neque dulce uinum admodum multum calorem edere solet, quòd plerunque dulcedo caliditatem & humiditatem sequitur, atq; adeò hac nunc forsitan ratione ab Hippocrate dictum est, quòd uinum dulce minus caput grauat, quàm uinosum, mentemq; minus obscuret, feriat, aut impediat. Solum hoc Galenus cotrouersum fecit, in li-

bro

bro de Facultatibus alimētorum, qui in eodem loco uuas dulces calidas, uinosas uerò in medio caloris & frigoris posuit: nam de uuis eadem uidetur ratio: alterum ergo è duobus oportet facere, scilicet, aut uinosum paulò aliter hic, quàm illic accipere, aut uinosum nūc aliter, quàm Galenus, exponere. Et quidē uinosū uinū illic dicebamus, quod haberet plus uinosę, quàm fumosę substātię: aut plus substātię uini, quàm caliditatis. ita est inuenire quędā acria uina, quę quidem egregiè caput caliditate tentant, sed parum nutriunt, parum uini continent: talia etiam romaneia, & quæ appellāt uulgò bastardica, eadē uulgus hodie appellat dulcia, sed fortassis erunt qui hæc dulcia appellare nolint, & reuera ad quandam acrimoniam accedere apparent. Saltem minimè nūc hoc modo uina dulcia audire decet, quoniam hęc egregiè caput tentant, mentem lędunt: uinosum uerò fortassis eodem modo audire licebit: non enim caput sola offenditur uini caliditate, sępe etiam illius copioso fumo: maximè tamen offenditur, quando utrunq; uino inest, & calidtas, & multa fumositas: ergo dulce in hoc loco altero duntaxat, uinosum uerò utroque modo caput ferit. Habet uinum dulce & alterum priuilegium, quòd prę aliis plerisq; uentrem leuiter citat: nam acida, austera magis astringunt, uinosa autem hactenus medio modo sese habēt. Quòd autē ita sit, ferè uulgo notū est, dū alba uina, ac propria Rhenana uentrem radere, Gallica uerò putant astringere. & quòd rubra quædam astringant, ex eo est, quia ferè aliquid astrictorium obtinent: dulcia uerò uina semper aliquid humiditatis habent, quæ uentrem leuiter diluit: econtrario uinosa ferè pro ratione caliditatis siccitatem cō iunctam habent, quæ plerunque uentrem retinet. Sequitur deinceps, quòd uina dulcia lienem & hepar magis tumefaciant: non decet autem intelligere, quòd tumefaciant, hoc est, inflent: nam flatum suum longè prius amittunt, quàm huc ueniunt: sed hoc intelligit, quòd ad obstructiones idoneè sese habeāt: atqui hic quidem facilius euadet, qui Galeni, quàm qui nostram sequitur expositionem, quoniam Galenus omnia uina dulcia crassarū partiū habet: atqui id ego satis demirari nō possū: nā ut nostra Rhenana dulcia quis neget, tamē rhomaneia, & quędā alia alba & tenuia, & dulcia existunt, imò inter ea quę sunt eiusdē generis plerū-

que alba,ut dulciora,ita tenuiora existunt, iam ut asserere possit Galenus omnia uina dulcia crassa,& hac ratione in angustias impingere,nõ tamen id duntaxat de dulcibus & crassis,sed in genere de omnib⁹ dulcib⁹audire oporteret, quãdo & ipse dixit in libris de Facultatibus alimentorũ,ꝙ ficus,licet subtiliũ partiũ,sępe obstructiones in hepate pariant:nec id solũ de ficubus ,sed & de omnibus dulcibus æstimãdum est,quæ sumũtur immodicè. causam diximus alibi, quia ut amara,acerba,acida non solùm ori & palato ingrata,uerùm & aliis plerisque uisceribus iniucunda,ita dulcia omnibus iisdem accepta , adeo ut ab illis sępe attrahantur immaturè:itaque semper periculum obstructiones minantur , quòd elaborata , tenuiora , crassiora uerò crudiora.Scio quòd uinum totum sit serosum,uerùm partes serosas per urinam interim demittit, & crassiores retinet, quæ elaboratæ nullo modo impingere possunt:sed & uina dulcia per se Galeno obstructiones potius augent , quàm nouas inferunt,& tamen inferunt aliquando,uerùm admodũ leues.Ob hanc causam uulgus dulcia ueretur in mẽsæ principio,sed neq; admodũ cõueniũt in fine,ꝙ os uentris inflamant,& omnino satius mihi apparet ea in prima mensa accipere:nam ne subito rapiantur ad hepar,pręsens est remedium,ut frugaliter assumantur ac modicè:nam ut particulę singulę dulcia tanquam similia uehementer appetunt, ita amara retinent,donec satiatę fuerint.Non est autem id peculiare hepati, ut dulcia appetat,sed ut diximus, uniuerso corpori: uerùm quia frequentius lędunt hepar quàm alia uiscera,apud uulgum hepati magis fuere suspecta.quippe quod contingit ,uulgus notauit : sed ut alibi, ferè rationem nescit:est enim ea sola, ût nunc Galenus describit, in commento, quia primò uenę hepatis,deinde lienis maiorem patiuntur angustiam,accedit,quòd quo magis uina elaborantur,eo magis attenuantur , & quomodo ergo tam frequenter obstruentur secunda uiscera,quàm prima , atq; hoc quidem primum dulcis uini incommodum . Secundũ est, quòd sitim faciat:atque hic quidem magis experientia patet quàm ratio.Galeno satis fuit , quòd uinum dulce sua caliditate exiccet,& nos quoq; scimus,quòd siccitas prima causa sitis existat:uerùm hac ratione uinum uinosum maiorem sitim excitabit : non est enim dulce tantùm calidius,

uerùm

uerumetiam ficcius.& quomodo ergo in plerisq; uinum uinosum sitim mitigat,in quibus dulce excitat?Possem dicere hoc euenire ex eo, quòd uinũ dulce, licet sit humidius, & uinoso frigidius,tamẽ diutius in uentriculo(ubi sitis oritur)suspenditur, sed mihi nõ sufficit, malo respicere quod hic euenit accidens:est autem id, quòd uinum dulce citius in choleram,quàm uinum uinosum,uertitur, cuius rationẽ quicunque sciuerit, alterum facilè dabit. Sed neque illam procul oportet inquirere:non enim id peculiare est ipsi uino,sed & lacti commune,ut subito in pycrocholis uertatur in choleram:scio quòd uera cholera primum suum principium accipiat in hepate, ueruntamen corruptam ferè ac pręcipuè uiridem sępe uentriculus inchoat. Causa autem in uino,lacte,& alijs quibusdã dulcibus ferè eadẽ est, quòd dulcia multas partes aëreas & pingues habent, quæ facilè in choleram uertuntur,quum & foris oleum facilè uertitur in flammam : ac fortè per se aliquid tale debebant pati uina egregie calida,& sicca, sed per accidens aliter euenit: non enim diu hęc in stomacho morãtur, sed quia quędam ex ijs tenuiorum partium sunt,& ad hepar festinant, iam uel citra hęc, quę egregiè calida & sicca sunt,non facilè à uentriculo peruertuntur,pręsertim quando ultra hęc substãtiã uinosam habuerint:hęc enim uina neutro modo passibilia existunt. atqui dulcia omnibus affectionibus obnoxia sunt: nam ut in cholericis facilè cõuertuntur in choleram, ita in pituitosis facilè in flatum, quod & lacti euenire diximus pro diuersitate uentriculorum.Neq; id tantùm euenit uino dulci, quod in frigidos ac crassos humores incidit, uerumetiam cui purus uentriculus obtingit: etenim humiditatem habet,quę à modico calido facilè inflatur, & in uẽtre suspenditur:quòd si flatum excitat uini dulcis caliditas ex ipsis frigidis humoribus,multò magis id ipsum eueniet uinosis uinis,utpote magis calidis:fortè hoc & ipsi Galeno suboluit,atq; ob id postea adscripsit,quòd flatus ex uino uinoso,utpote tenui, nequaquã crassi sint,ut qui ex dulcibus nati,sed aërei: nam ipse omne uinum dulce crassarum partium habuit,sed frustrà:saltem hoc hic quęsiuit.nam tamet si tenuium partium fuerit, ferè eandem inflationem committit. Ne tamen nimis morosi erga Galeni commentationem uideamur,sępius modicè calida, quàm multum feruẽ

tia flatus generant, quòd immodicè calida illum dissipent. Sed nō est uerisimile, quòd huc Galenus respexerit, multò minus cum proposito conuenit, quòd uinum tenue tenues, crassū uerò crassos uapores edit: opportunius poterat adferre, quòd uinosum & calidum flatus leuat & dissipat, dulce uerò duntaxat generat. Rectè autem adiecit Hippocrates, quòd nequaquam ubiq; flatum pariat, sed maximè in primo intestino, hoc est, uetriculo: nam in ipso uentriculo flatum tandem omnem deponit: causam ipse asscripsit, sed interpres obscurauit, dum in hac sententia, & ea commenti parte, coniunctionem occupantem pro causali, hoc est, quāquam, pro quia exposuit: nam certum est, quòd Hippocrates aliter scripsit, ut sic stet sermo, Non tamē pro ratione flatus inimicum est inferiori, quia non facilè uinum dulce permeat, quod idem est cum eo, quod posteà sequitur, sed circa hypochondria, hoc est, in uetriculo moratur: imperfecta quidem ratiocinatio, sed quam facilè perficere possumus, quòd ea quę diutius in uentriculo morātur, necessariò exquisitè conficiuntur, erudiuntur: itaq; flatum deponunt, nisi admodum crassę & flatulentę substantię fuerint, quales fabę, quę ferè uniuersū corpus inflāt, & pro suo more fungosum reddunt. Quę autem hęc sit optima ipsius sententię commentatio, ex sequenti aphorismo patet: nam eorū quæ ad hūc aphorismū spectant, aut eius commentū, nihil uidetur omissum. Quippe quòd Galenus hic inquirit, quomodo dulcia promoueāt sputum, nos prosequemur cō modius in ea, quæ tertia sequitur sententia.

VRINAS siquidem hoc minus, quàm uinum album omnino mouet,

CVR uinum dulce moretur in præcordiis, anteà dictū est. accedit & alia causa, quòd sit frigidius; nā frigida omnia tardè ex uentriculo meant, calida uerò plerunq; intro rapiuntur. Est autem huius rei & hoc signum manifestum, quòd ægrius ipsam urinam quàm uinosum moueat, nec dubium est, quin hic de albo simul & dulci loquatur: non est enim uerisimile, quòd dulce & nigrum cum albo & uinoso comparat. ergo talis erit sermo, Inter uina alba dulce minus mouet urinas, quàm uinosum: causa est manifesta, quia uinum dulce minus calidum, sæpe etiam crassiorum

partium: ferè idem & uulgo notum est: adeo ego Galenum demiror, qui in hoc loco, nescio quid indignatur, quasi nullum album uinum calidum esse possit: nam ipse credo, uulgo suum modum loquendi condonabit, qui interim fulua uina, aut flaua alba appellat: atq; hæc ferè uinosa existunt: iam nemo inficias ire poterit, quin inter Rhenana atque adeo omnia uina alba, alterum altero uinosius erit. & quomodo ergo detrectare poterit, quin album uinosum magis quàm dulce in suo genere urinam citet ac profundat? mirum quorsum doctissimos homines aliquando rapiat negligentia, laborum perplexitas, aut negotiorum multitudo. Vide precor, quid Galenus ipse adferat: putat tandem Hippocratem in hoc loco comparare dulce ac nigrum, cum uino albo, & subaustero: nã nigrum, licet uinosius, nihilo magis citat urinam ipso dicente, quàm album, præsertim subausterum, quia nigra semper crassa. Nam duo sunt, quę uinum in uentre morantur, frigiditas, & substantiæ crassitas. Sed quid iis rebus precor faciet? nã ut ex iis obtineat, quòd uinum album modicè austerũ magis mouet urinam, quàm simpliciter austerũ, aut nigrum: & quòd austera maximè fluctionibus uentris sunt idonea, ita parum obtinebit, quòd nunc per album uinosum subausterum intelligat, aut quòd idipsum ad nigrum & dulce comparet: nam simplicior & liberalior erit sermo, si quidem audiamus inter alba uina comparari tenuius, & aquosius uinoso.

SPVTVM autem, quàm aliud efficacius educit quod dulce est.

DVBITAT Galenus, an dulce comparet duntaxat cum uinoso albo, an cum quouis alio: deinceps autẽ & de eo ambigit, an per album uinosum intelligat uinum acerbum, potens in calfaciendo, an potius moderatè austerum: mirabilis profectò dubitatio: quum austera uina, & magis acerba parũ uideãtur uinosa: quòd si alba uina respectu fuluorũ parũ sint calida, tamẽ inter se alia dilutiora, alia uinosiora. Et mihi quidem uidetur, quòd Hippocrates hic uinũ dulce cõparet ad quoduis aliud, & est liberalis ac uera cõparatio: nã uina insipida sputis nihil cõferunt, austera uerò atque acerba non solùm non conferunt, uerumetiam uehementer obsunt. Idem est de acribus, est tamen ubi acida cõ

ueniunt: nam & materiam incidunt, & tussim excitant: uerùm huiusmodi uina uix unquam ex natura inuenies, dūtaxat per ætatem talia euadunt: rectè ergo Hippocrates dixit, quòd dulce, quouis alio sputum magis promittit, causa ex eo est, quia quòd sputum promouet, præter caliditatem quādam humiditatem admixtam habere debet. Hoc ipsum Galenus & in quinto libro de Facultatibus simplicium scripsit, & paulò antè in commento illius sententiæ, uinum dulce, &c. repetiit: uerùm obscura est ibidem ipsius ratiocinatio, quæ quoniam potius ad hanc, quàm ad prædictam pertinebat sententiam, hucusque distulimus: est autem in hac parte dura & spinosa, idque non uno modo. Primò dubium est, quid de aquosis humoribus ibidem uelit quum dicit, quòd aquosi & tenues humores aërem, qui extrà mittitur, circūfluunt: & mihi quidem (ut ex alijs locis colligo) hoc solùm apparet dicere, quòd aquosi humores ægrè per tussim expuantur, quia aërem tenue sputum sua tenuitate prius præterfluit, aut præterlabitur, quàm effertur. Sed neque crassum quoduis sputum per ipsum aërem, aut spiritū efferri potest, sed prius ipsum mediocriter attenuari debet. atque hac quidem ratione Galenus ab ijs medicamentis, quę sputum promunt, quandam humiditatem postulat, quę crassitudinem aliqua ex parte diluāt. Et nos quidem scimus, quòd lutum & alia hiusmodi crassa perfusa aqua nonnihil attenuātur: scimus etiam quòd medicamenta pectoralia plerūq; quadam leui humiditate sunt prędita: sic glycirisa, sic zynziber, & eiusmodi alia. Verùm quòd ea sua humiditate crassa diluant, nondum bene accipio: non est enim ea humiditas actu, sed magis potentia. Cur ergo medicamenta pectoralia magis, quàm ea quę prouocāt urinam, humiditate quadam debent esse permixta, nondū clarè constat: sed ego eam solam puto esse causam, quòd multi sint anfractus in pectore, aut bronchijs ipsius, unde sputum, uel duntaxat mediocriter crassum ęgrè effertur, nisi leniter abstergatur. Verùm quę in renibus sunt, utero, uesica, potius prouocatione, quàm abstersione indigēt. Cur ergo uesicę sicca, pectori uerò humidiora paululum medicamenta conueniunt, dictum est utcunque: quòd si materia non tantùm crassa, sed & uiscosa fuerit, ne hęc quidem humida sufficiunt, sed acida quę amplius extenuant & abster-

gunt,requiruntur.Est autem & hic quęstio,ecquid potius acida quàm acria:nunquid & id est ob eã causam, quia acida frigida?Sed hęc amplius in quinto de Facultatibus simplicium perquiremus,nũc nobis satis est, quòd uinũ dulce ob eã causam cæteris uinis ad tussim magis expediat,quòd calidum & humidum existat. Quòd autem Galenus ipsius causam non nisi per nubem quandam ac caliginem intellexerit,ex iis patet,quæ paulò antè scripsit, & quæ mox sequuntur,ubi adiicit,Vinũ dulce in morbo acuto ad excreationem idoneũ existit,tũ propter dictas ipsius actiones, tũ communẽ omnium uinorũ, quę uires corroborant,rationem:nam si prior suffecerat,parum erat necessarium secũdam adiicere:uerùm ita solemus facere, quando prior nõ satisfacit:atqui multò minus priorem perficere poterit: nã hac ratione nõ solùm uinum,sed & aliud quoduis alimentum sputum promouebit,utpote quod naturam corroborat,sine cuius firmitate nihil euacuari potest. Non parum autem obscurauit hunc sermonem uel sequenti appendice,ubi dixit,Et maximè iis,qui quæuis humida expuũt.Nam hac ratione excreationem humidorum & siccorum distinguere apparet. Neque negare possumus, quin aliquando tussis sicca,aliquando humida, & rursum quod excrementum in pectore sæpe pituitosum,aliquando siccum,melancholicum,uel biliosum.sed ad quod nunc ista propositum? Credo per humida intelligit non quidem summè crassa, sed mediocriter humida,& attenuata : nã uinum dulce ad sputum mediocriter crassum quidem satis confert : ad id uerò quod admodum crassum est, parum conducit. Forsitan etiam nunc humidorum in genere meminit, ut postea magis idoneè differentiarum humidorum admoneret : ita enim scriptores priori sermone aliquando aliquid adiiciunt, ut sequens sermo ex eo liberalius sequatur, aut cum eo maiorem societatem obtineat. Atqui certissimum est, quòd in hoc loco particula hęc, tota, duriter sit adiecta. Ac nunc quidem tota difficultas in hac sententia eruta uidetur,& reuera non est:nam superest inquirere,quando uinum dulce sputum facilius reddat, an quando obiter per gulam transeat,an posteaquam concoctum in hepate & uentriculo ad pectus peruenit : atque id quidem mihi uerisimilius : nam nunquam alimentum to-

tam ſuam naturam amittit, niſi interim uitiatum fuerit: ita alimentum ex uino dulci quandã dulcedinem pectori affundit, niſi interim in bilem corruptam euaſerit. & tamen negare non poſſumus, quin & obiter, dum per gulam tranſit aliquid, eius transfluens aut tranſſudans in aſperam arteriam pectus bene afficere poſsit, quum & acetũ affatim ſumptum, aliquando ſubito tuſsim excitet: nam ſi inter deglutiendum quędam poſsint offendere, conſequẽs omnino eſt, ut iis contraria poſsint utcunque iuuare: ergo quicquid ad hanc rem pertinet, uidemur dixiſſe ſatis. Proinde tempus eſt, ut rurſus redeamus ad propoſitũ præſentis ſententiæ commentum, in quo Galenus quaſi omiſſa Hippocratis obſcuritate, ſeorſum inquirit, quæ uina primo, ſecundo, ac tertio loco ad excreationem compendium faciant. res proculdubio imitatione digna: nam quotieſcũq; locus admodum obſcurus fuerit, & de mente ſcriptoris potius diuinandum, quàm coniectandum, ſtultũ eſt ſeſe multa inquiſitione fatigare: ſatius eſt & frugalius (quaſi autore diſſimulato) ipſam rem uel ratione, uel experientia, uel ex aliis autoribus inquirere: multa enim à ſcriptoribus ipſis aliquando negliguntur, ſubinde ab his qui tranſcribunt, adeo uitiantur, ut nũquam poſsis dirigere. Eſt autem ſumma ſermonis Galeni iſta, Vinum dulce mediocriter craſſum ad ſputum primo loco eſt optimum, malum eſt fuluum, in quo exoluta eſt craſsities & dulcedo, hoc eſt, tenue & acre: nam ut uina per ætatem magis fulua fiunt, ita paulatim craſsitiẽ & dulcedinem ſuam deponunt: & quidem quòd fulua, hoc eſt, potenter calida, & acria ſputo obſint, ex eo eſt, quia caliditas multa facit ſputum magis uiſcoſum. exemplum aliquando præbet febris ardens, in qua interim ſputũ adeo procedit uiſcoſum, ut medicus inexpertus, & ex uulgaribus aliquis ſæpe putet febrem pituitoſam: ergo dulce ad prouocationem ſputi maius habet compendium. Verùm cur craſſum tenui præferat, ego coniectari non poſſum: nam craſsitudo ſputum retinet magis, quàm mouet. Nunquid craſſum potius actu, quàm potentia cogitet, profectò ipſe uiderit: rectè autem tandem adiecit, quòd uinum aquoſum atque adeo album, ſecundo loco ſputum prouocet: nam & id quodammodo dulce exiſtit, & de eo ac ferè ſolo ego puto ſcriptas priores Hippocratis ſententias.

ET ſanè quibus epotum ſitim facit, his minus quàm uinum aliud educit: quibus uerò ſiticuloſum non eſt, magis alio educit.

ANTEA dictum eſt, quòd uinum dulce, quemadmodum ipſum lac, ſæpe in uentriculo bilioſo bileſcat, atque hoc unum tantum abeſt, ut ſputum facilè reddat, ut omnino ipſum ſegnius faciat: primò quòd nihil ipſius, aut parū ad pectus perueniat: ſecundò quòd ſi quid eò euadat, priuſ quā eò perferatur, ferè humiditatem ſuam amittit, atq; ſiccum & aduſtum ſputum pertinacius facit: omitto quòd nitium humorum febrem auget, quæ multò magis ſputū moratur: facilè autem eſt ex hoc loco colligere, quòd uinum dulce tuſſim potius mitigat, poſteaquam fuerit cōcoctum, quàm quando obiter per gulam deſcēdit ad uentriculum.

VINVM autem album uinoſum, laudatum quidem & uituperatum plurima ex parte, & maximè iam in uini dulcis enarratione. Ad ueſicam autem uino alio magis penetrat, urinasq; prouocat, & perpetuò purgat, atque multa ad opem ferendam his morbis facit: nempe etſi uino alio ad cætera inhabilius exiſtat, ueruntamen quæ in ueſica fit ab ipſo purgatio, liberat, ſi propinetur qualę oportet. Bonæ hæ coniecturę ſunt de uino, tum profectus, tum detrimenti, quas ſeniores me non didicerunt.

DVLCE uinum ferè ubiq; comparauit cum albo uinoſo: eſt autem ea differentia, quòd uinum dulce uentrem & pectus, uinoſum uerò felicius expurgat ueſicam & renes: cauſa eſt manifeſta, quia urina eget prouocantibus: pectus uerò & uenter abſtergentibus. Itaque uinoſum uinum præcipuè cōuenit affectibus in renibus & ueſica. adiicit, Si quidem propinetur quale oportet. Quid autem per hanc ad-

iectionem uelit, neq; Galenus scripsit, neq; ego satis scio, nunquid tenue intelligat. Credo quòd respiciat ipsum assu mendi tempus: non enim quolibet tempore uinum album uinosum bibere conuenit, sed more eorum medicamento rum, quæ prouocant urinam, sudorem summo mane, atque id tantum.

FVLVO autem uino, & nigro austero in his morbis ad hæc uteris, si neque capitis grauitas fuerit, neque mentis concussio, neque sputo uia cohibeatur, neq; teneatur urina: deiectiones uerò & humentiores, & ramentosiores fuerint: in his enim ex albo ma ximè migrandum, atq; ijs quæ huic uirtuti similia existunt.

PLVS uerborum, quàm sententia postulat: breuiter enim dici poterat, quod in morbis acutis ubi fluxus uentris imminet, potius fuluum & nigrum conuenit, quodammodò austerum, quàm album. Duplex huius rei causa est: altera quòd flauum, fuluum, nigrũ, per se sit calidius & siccius: econtrariò album uinum non solùm minus calidum, uerũ etiam magis humidum: igitur duobus modis uinũ fuluum. nigrum magis stringit uentrem, quàm album: nam calida & frigida cogunt, sola tepida exoluunt. Iam nequaquam simpliciter de fuluo aut nigro uino loquitur, sed simul mo dicè austero: quanquã ne illa quidem appendice admodũ opus erat: quoniam ut alba plerunq; dulcia, ita nigra, rubra ferè aliquid habent austeritatis. Neque ista tantùm discriminat Hippocrates, quippe uel uulgo cognitum est, quòd alba uentrem magis diluunt, quàm rubra: sed hoc perpẽdit, quòd hæc ferè albis calidiora: proinde parum conueniunt, ubi febris suo æstu hominem urit, aut secus caput oblæsioni paratum existit. atque hæc quidem sententiæ Hippocratis satisfacere possunt. Verùm Galenus in commento rursus nouam nobis difficultatem facit, qui in principio commenti quadam uirtute, omne uinum dulce nigrum habet, ac paulò pòst fuluum similiter: ac nigrum diuidit in dulce,

austerum & medium.quis non uidet manifestam controuersiã?profectò nisi ego ipse cęcutio,maxima est:atqui ego hic cęcutiam,donec alius controuersiam diremerit.

QVOD auté superiora quidem omnia, uesicamq; minus offendet,si dilutius fuerit: intestina uerò magis iuuabit, si meracius fuerit,neminem latere debet.

LOQVITVR de uino fuluo & nigro, austero, atq; adeo meraco,qualia plerunque in regionibus nascuntur calidis:nam regiones frigidæ uix aquosum reddunt: & qui dem natura illorum antea dicta:calida enim sunt,neq; astri ctionis expertia,quocirca caput duobus modis offendunt, & quia calent,& amplius, quia ferè in uentre cunctantur. Iisdem modis & pectus:nã affectus pectorales laxari postulant,neq; calida admodum tolerant, sed & urinam morari cogit.Itaque in iis affectibus, si quando aquosioris uini est inopia,talia uina lymphare oportet:nam & calorem tollit, & nimiam astrictionem reprehendit. Verùm intestinis lubricis,ac molliter sese habentibus,meracius conuenit, non solùm ob eam causam, quia magis astringit, uerumetiam quia aquosum flatibus sæpe uentrem distendit:atq; hactenus de uini affectibus satis,adeo ut ego demiror Galenum aliquid desiderare de uino albo aquoso: nam rectè idem colligit,quòd nullius alterius magis in hoc loco, quàm illius mentionem facere debuit,utpote quod ferè solùm in acutis conuenit.Nescio igitur quare in hac doctrina omissum queritur:nam ego eius historiam in uino dulci audiui, quòd album uinosum nulli alteri oppositum existit.

MELICRATVM, id est, mulsa per totum morbum in acutis epota, prorsus qui dem tum picrocholis,tum ijs quibus tumefa cta sunt uiscera,minus,quòd non huiusmodi est idonea.

ERRANT qui oxymeli cum mulsa aut melicrato idẽ putant:nam melicratum duntaxat ex melle & aqua est com positum,aut mistum: ita enim hic crassum interpretor. non

refert autem an mulſam dixeris,an mulſum:uerùm ab aqua mulſa,aut hydromelite differt concoctione, atque ea tantùm : quippe hydromeli coctum atque maiore melle ſaturatum,& tamen aliquando idem mulſum appellatur, in quo communiter una pars mellis,octo partes aquę accipit: ſed decoquitur,donec omnino mel ſuam ſpumam abiecerit. Quidam amplius quartam aquæ partem,quidam tertiã excoquunt,atque hæc eſt ſimpliciſsima mellicrati comparatio:quidã ipſi aromata incoquunt,zaccharum, caſsiam, cinnamomum,piper,& eius generis alia:atq; hæc eadem ſunt cum his quæ uocant uulgo hippocratica. neq; ſatis ſcio,unde hoc nomen ſibi uſurpant: poſſum cõiicere tamen,quòd hippocraticum pro mellicrato dictum ſit:una eſt differentia,quòd recẽtiores zaccharo,ueteres melle utebantur eius loco,uel quia zaccharum illis erat incognitum,uel quia apud illos illius copia erat illiberalior,uel quòd eſt uerìſimilius,quia zacchari uis multo ignauior quàm mellis.magno argumento,quòd uel hodie ea quæ zaccharum accipiunt, citius putreſcunt,quàm quæ mel habent admiſtum: & quidem quondam iis utebantur mane ad uentriculi hepatis corroborationem,nunc uerò à cœna ad ganeas & luxuriã. Sed ad aquam mulſam redeo,quę quidem per ſe calida eſt & humida,& niſi diligenter fuerit excocta,flatulenta,cholericis non conuenit,quia ſimiliter cum uino dulci in bilem uertitur.atq; huius quidem cauſam Galenus ubiq; uidetur quærere, & nunc eius moram, nũc illius caliditatem accuſare.Præcipua autem cauſa eſt,quòd dulcia partes pingues habent,quæ in calido uentriculo facilè mutantur in choleram, eodem modo,quo pingue externum in ſtridentem flammam.Libenter tamen concedam,quòd omnibus dulcibus ne bileſcant, maius periculum imminet in uentriculo, quàm poſterioribus uiſceribus:nam ſemel in bonum ſuccum demutata paſsionibus minus ſunt obnoxia.Quòd autem diutius cunctentur in uentriculo,Galenus in cauſa putat eſſe partiũ craſsitudinẽ: ego magis in cauſa puto, quia dulcia ſunt:nã ut hæc auidiſsimè attrahũtur à uiſceribus,ita auariſsimè retinẽtur: accedit quòd flatulẽta ferè ſunt,ac ne hoc quidẽ illa minimũ remoratur.Cur ergo cholericis mulſum obſit,dictũ eſt ſatis:cur uerò obſit quibus inturgeſcunt uiſcera,& hoc quoq; partim antè in uini dulcis enarratione eſt

ne est disceptatũ,non quidē ut Galenus apparet cōiectari, quia dum hic impingũt,bilescunt: uerùm ob eā causam ma gis,quia mulsum ipsam obstructionem auget, quando pręcociter & crudum attrahitur,ac fortè per se obstructionem leniorem facere potest,minus tamen quàm uinum dulce, quód ratione mellis maiorem facultatem abstergendi obtineat.Ergo in solis temperatis,aut certè frigidis corporibus conuenit,maximè tamen in acutis,atq; iis qui quarto,quinto,uel septimo relinquunt:nam qui diutius durant,aut cremorem ptisanæ,aut ipsam ptisanam postulant:habet tamē hoc priuilegii mulsum,quód ptisana in his expectet concoctionem,mulsum ueró per totum ferè conuenit morbi decursum.

PORRO & siticulosa minus quàm vinũ dulce,nēpe & pulmonem mollit, & sputũ mediocriter educit,& tusses mitigat:habet enim aliquid detersorij,quod plusquam mediocriter viscosum facit sputum.

NON memini(quamuis eius ipse nunc admonet) vbi Galenus anteà ostēdit mulsum quàm uinum dulce minus siticulosum esse: uerùm nec ea causa quam ipse nunc subtexit,admodum mihi placet,ubi affert,quód mulsum minus moretur in uentriculo,quàm uinum dulce:nam principalis mihi causa apparet,quód mulsum partes pingues pauciores habet: dulce autem uinum plures. Neq; rursum hoc est difficile ex prioribus colligere:nam si dulcia ob eam causam sitim faciant,quia in choleram uertuntur,atque iterum in choleram uertuntur,quę sunt pinguiuscula,necessum est ut ea quoque sunt magis siticulosa,quæ ad choleram sunt magis idonea.Habet autē ad hoc se minus opportunę mulsum quàm uinum,quód mulsæ partes plurimæ aqueæ sunt, una tantùm mellis : neq; mulsum hac tantum ratione uino dulci nobilius, uerumetiam quód ad affectus pectoris, etiā acutos,multo efficacius,& iucundius : nam & pectus eximiè lenit, & præterea tusses mitigat,ferè autē tusses tribus exasperantur rationibus: materiæ multitudine,eius mordacitate,maximè autem ipso motu:nam mota materia semper molestior quieta.Itaque ut pruritus,ita tusses maximè

lacessunt

lacessunt noctu & vesperi: nam vt materia maximè moueri incipit initio veris & autumni, ita similiter mane & vesperi, & quidem inter medicamenta iuuenes acetum & similia, quæ sua acrimonia aut aciditate pectus vellicant, ac tussim mouent: quæ autem eius motum sedant, uariāt, quædam materiæ multitudinem tollunt, quædam eius acrimoniam obtundunt, aut ipsius crassitudinem incidunt, tenacitatem abstergunt, ac ferè omnibus his modis aqua mulsa tusses mitigat: adeo ego miror Hippocratem, qui nūc contrà per mulsam tenacius reddi sputum scribit. Conatur illi patrocinari Galenus, per iniuriam uerbi, facit: non enim intelligit, quòd mellicratum sua ui absterforia sputū reddit crudius, uiscosius: sed hoc putat, Hippocratem dūtaxat conqueri eius imbecillitatem: ac reuera, imbecillior est, quàm quæ sputum admodum crassum potest tollere. Sed uel condonata uerbi iniuria, nullo modo hæc sententia, licet uerissima, cum reliquis, hoc est, priori parte conuenit. quomodo enim id sedet, tusses mitigat, quia imbecillior est, quàm ut sputum crassum abstergat? uereor profectò ne Hippocrates si uiueret, talē expositionē nollet: nā alia obuia magis propior & liberalior erit, si per uerbum κα[illegible] γλὺς χ[illegible], nos audiamus lubricum fieri: vtrumque enim hoc uerbū significat, & lubricum, & uiscosum facere: atqui mellicratum plusquam mediocriter sputum lubricū facere potest. Quòd autem sputum eo facilius exit, quo magis lubricum existit, omnibus notum est: ecquid ergo Galeno in mentem uenit ut in prædicto verbo potius uiscosum, quàm lubricum audiret? mirum quorsum aliquando grauissimos uiros rapit laboris perpetuitas. profectò ego sic Hippocratem intellexisse autumo, neque enim decet uerbis, ac multo minus autori iniuriam facere, ubi obuia est expositio.

CIET autem & urinas abunde mulsa, nisi ex uisceribus aliquod prohibuerit.

QVOD aqua mulsa & per uentrem, & per uesicam citius descendit, quàm uinum dulce, antea dictum est. Putat Galenus rationem esse, quòd uinum citius mutetur in choleram: ego eius principalē causam arbitror, quia aqua mulsa magis absterforia est, quàm uinum dulce: itaque & per renes ad uesicam descendit, & festinat, nisi, inquit, ex uisceri-

bus aliquod prohibuerit: hoc est, nisi in mezaraicis, aut hepate aliqua obstructio intercesserit: nã ut obstructa hęc uiscera, humorum ex alto regurgitationem prohibent, ita ascensum eorum ex uentriculo impediunt. Timet Galenus, ne ocurrens aqua mulsa inflammationibus ab ipsis mutetur in bilem, & fieri potest: est autem & aliud periculum, ne obstructiones augeat, præsertim ubi importunè, & pręcociter rapitur ad hepar, priusquam fuerit cõcocta: nam, ut antea diximus, non solùm uentriculus delectatur dulcibus, sed & alia uiscera festinant ad capiendum id quod dulce est: nullus tamen maximè hoc tribuit hepati, quia hepar, quàm uiscera alia, magis obstructionibus obnoxiũ: non est ergo iste tantum sermo, ut antè, de dulcibus crassarum partium, uerũ etiam quodammodo tenuium.

BILIOSA quoque alui deijcit, interdum quidem bona, sed interdum quàm decet redundantiora spumantioraq;, quòd biliosis magis, atque his, quibus tumefacta sunt uiscera, contingit.

MEL, & eius ratione mulsum in intestinis multa pręclarè facit, pituitam in ipsis abstergit, ipsam quoq; fecem sæpe simul deducit, multo promptius ipsam choleram ab intestinis abradit: atque hactenus quidem bono est: uerùm aliquando mulso assumpto abundans, spumans, ac bene calida deiectio sequitur, idq;, ut Galenus commentatur, quia mulsum in bilem uertitur: atque id quidem promptè euenit in iis, quibus per se natura est admodũ biliosa, aut per accidens inflammationibus biliosis affecta: utrobique enim caliditas talis est, quę mulsum facilè in bilem demutat, atq; adeo egregiè calidam. Eadem sæpe & spumans est: non enim motus tantùm, sed & calor spumam generare potest, non uideo tamen quomodo huiusmodi deiectio, tabem, aut colliquationem significet, quam usus mulsi sequitur. id enim duntaxat illi euenit, quę per se & ratione febris, talis decedit: nam calorem multum in bili crassum significat, qui hominem colliquare solet, ac ferè diu durat: at quę mulsum sequitur, temporaria existit. Potest tertiò euenire.

talis

ca crudam materiam admodum colluctatur:ferè autem huiusmodi colluctatio, aut turbatio, in corpore sitim facit: nam prgterquam quòd medicamentum est calidum,uiolentus etiã motus insigniter incalfacit. Facit eadem perturbatio & alia ratione anxietatem:quia ferè plus abstergit boni succi;quàm mali;nam ut alibi diximus, anxietatis causa aut dolor stomachi est,aut multa imbecillitas,quę facilè malas purgationes cõsequitur.Eędem purgationes,modò biliosę fuerint, intestina & sedem exulcerare apparent. ac reuera aliquando exulcerant: nam ægrè humor crudus sequitur, ubiq; moratur,adde quòd cruda bilis multo calidior,quàm concocta existit.Videtis ut huiusmodi deiectiones nequaquam mala ostendunt, sed etiam faciunt. adeo Galenum miror,qui in uerbo habent,nouam expositionem quęsiuit, saltem hoc loco parum necessariã. Quòd autem hęc ęgrè referri poterint ad bilem,quę recẽs ex melle oritur,est manifestũ:nam huiusmodi bilẽ melius est excerni quàm retineri. Nec tamen laboro,siquis Galeni expositionem seruare uoluerit: nam & bilis in quam mulsum uertitur, hęc omnia mala facere potest:id propter eos dico, quibus durũ uidebitur, quòd mulsum quasi medicamentum aliquam uim crudę bili adferre poterit, qui facile obmutescent,ubi posteà audiuerint, quòd mulsum aliquando ęgregiè uentrem & uniuersum corpus turbet.

SED horum auxilia scribentur.

CAPVT huius remedii est,tales deiectiones continere,donec huiusmodi humor cõcoctus fuerit & attenuatus.

QVI ergo in morbis huiusmodi relictis sorbitionibus, mulsa potionis alterius uice utetur, is ut multa feliciter consequetur, sic & nequaquam præter animi sententiam succedent multa. Verùm quibus danda sit,& quibus non,& quam ob causam,maximè est dictum.

NEQVAQVAM passim pro sorbitione ptisanæ aqua mulsa uti licebit,duntaxat ubi uirtus fortior,nec ullũ

aliud accidens interturbet: inter reliqua autē impedimenta illud est, si quidem corpus egregie biliosum fuerit, aut per se, aut inflãmationibus biliosis circa hepar obnoxium: est aliud quando uenter ex natura admodum lubricus fuerit.

DAMNATVM autem præterea ab hominibus melicratum, quòd bibentes ad ultimum imbecillitatis agat: atque ob id citã adferre mortem est creditum. Vocatum autem id διὰ τοὺς ἀποκαρτεροῦντας, id est, qui inedia absumuntur: sunt enim qui sola utuntur mulsa, tanquam huiusmodi maxime existat.

QVARE ij, qui sese ipsos interimere uoluerint, potius aqua mulsa quàm simplice inedia usi fuerint, duplex potest esse suspicio: altera est, ut paulò facili⁹, licet tardius morerentur: dura enim est omnimoda inedia: potuerint etiam ea uti ad uentris prouocationem: nam licet mulsa plus quàm aqua nutriat, certum tamen est, quòd ubi uentrem fatigat, citius quàm sola inedia interficiat: certe per se nullam uim interficiendi aut debilitandi habet.

SED hoc non prorsus ita habet.

PRORSVS adiecit, fortè quia per accidens aliquando mortem plusquam inedia accelerat: id ipsum ipse sequenti sententia declarare apparet.

EPOTA autem sola mulsa, quàm aqua longe potentior existit, nisi uentrem turbauerit.

REFORMIDAT Galenus admittere quòd aqua nutriat, sed ob eam causam commentatur, aquam uitam protrahere, quia humectat. Et nos quoque scimus, quòd siccitas sit præcipua mortalitatis nostræ causa, quam aqua nõ nihil remoratur ac medicatur. uerùm nequaquam ego uerebor dicere, quòd aqua utrunque nutriat: non enim simplex elementum nũc est, sed aliis quibusdam fermentatũ: deinde ut simplex elementum per se nutrire non potest

diu,

diu,ita in se aliquam partem nutrimenti obtinet,quatenus unum ex quatuor elementis existit: quippe & aër ipse nutrit.Hoc ergo tantum dabo physicis, quod unum elementum perpetuò,aut admodum diu,corpus nutrire nequit, ut pote quod ex quatuor elementis consistit.

CAETERVM uino albo tenui, paucifero & inodoro quodammodo fortior est, & quodammodo infirmior.

IN tribus consistit corpus nostrum,aut eiusdem robur: in spiritu hic promptè nutritur: aëre liquida facilè commutantur in sanguinem,eumq; tenuẽ:quocirca sæpe multa illorum pars difflatur,priusquam in solida commutentur. Hæc maximè nutrit sanguis,qui ex crassis & solidis proficiscitur eduliis:rectè ergo odorum uinum accepit: non enim minimum ad nutritionem compendium facit: at sæpe elegantius quàm mulsum nutrit. Verùm eodem inodoro, quodammodo minus,quodammodo plus nutrit.Potes hoc bifariam intelligere. Primò ut pauca sit differentia: nam ita solemus de his loqui,quorum differentiæ sensum subterfugiunt. melius autem est accipere commentationem Galeni,ut sic dicamus,Mulsa per se magis nutrit,quàm huiusmodi uinum,minus autem aliquando per accidens, ut quando uentrem exercet.

VINI autem, mellisq; meracitas si robur utriusque contemplatus fueris, insigne recipit discrimen: nam si duplam uini meri mẽsuram ad mellis detinctum quis biberit, à solo nimirum melle ualidior longe reddetur,nisi uentrem turbauerit: nempe multò plus stercoris deijcietur.

QVOD duæ partes mellis plus nutriant, quàm quatuor partes uini,primùm docebit ipsa experientia: potes idipsum antea ratione cõsequi:quia duæ partes mellis plus demittunt stercoris,quàm quatuor uini:nec est mala aut in idonea sequela:quia quæ plus nutriunt,ferè etiam plus ex-

crementi ostendunt, exempli causa, panis multum, aqua uerò nullum: ita & deinceps de plerisq; aliis.

MVLSA tamen post ptisanæ sorbitionem epota ualde replet, inflátque, & hypochondriorum uisceribus est inutilis. At si ante sorbitiones bibatur, non ut superpota lædit, sed iuuat quippiam.

GENERALE edictum est, ut quæ facile corrumpuntur, maximè autem ea quæ uentrem mouent, in prima mensa sumãtur: quòd si euidenter id faciant, satius est ut hæc aliquot horis præuertant: sic pruna lõgo tempore, saltem duabus horis ante cibum exhibet Galenus, oxymeli quoq; postea Hippocrates: nam cibo in uentriculo nulla conuenit uexatio; ergo & mulsam, sorbitionem ptisanæ oportet præuertere: nam præter reliqua mala posterius assumpta uentrem inflat: quippe os uentriculi sua humiditate laxat, & sua leniore caliditate reliquos cibos partim in flatum mutat, quamuis ex se satis flatulenta existat, nisi subito descendat.

COCTA autem mulsa aspectu quidẽ quàm cruda, longè est pulchrior: splendida siquidem, & tenuis, & alba, & pellucida existit. Sed qua ab ea euariet uirtute, dicere nõ possum: neque enim est suauior, si mel⁹ bonum fuerit, imbecillior tamen quàm cruda, & minus stercoris habens, quorum neutro ut auxilietur, mulsa opus habet: cocta tamen probissimè utendum, si mel prauum fuerit, impurum, nigrum, & mali odoris.

FRVSTRA ergo hydromeli, aut aquam mulsam nitimur admodum distinguere à mulso, aut melicrato: tantum elixatione differunt: quippe uirtutem ferè habent eandem. Cocta, inquit, mulsa candidior, sed cruda potentior

& gra

& gratior, est enim dulcior: quippe mel per decoctionem nonnihil suarum tenuium partium amittit, quæ non solùm dulcedinem fundunt, uerumetiam uentrem raduнt. Itaque hactenus cocta per se insuauior & ignauior, atque in utroque ab aqua mulsa mulsum uincitur. Hoc est quod dixit Hippocrates, Quorum neutro ut auxilietur, opus habet. plus enim est superstitionis in uerbis, quàm difficultatis in sententia. Vnicum habet priuilegium, quòd cocta minus est flatulenta: non enim decoctio duntaxat acriores, uerumetiam aquosiores partes tollit. Est etiam paulò securior, ubi mel fuerit aliqua ratione suspectum: nam in aqua, lacte, & multis aliis, nedum melle multa uitia elixatio repræhendit, dum tenuiores superfluitates, in quibus putredo consistere solet, consumit. Vt autem suspecta hæc omnia, decoctione purgantur, ita licet refragetur Auicenna, mea quidem opinione, optima magis uitiantur.

DE OXYMELITE.

OXYMELI, appellatum epotum, sæpius quidem in his morbis commoditatem habere reperies: nam sputum educit, & facilem reddit spirationem.

MIROR quòd Galenus tam multa uerba fuderit in explicatione illius uerbi, appellatũ: malo ego eius differentiam ostendere. aliter enim quondam Hippocrates, aliter nunc uulgus utitur oxymelite: nam Hippocrates uice potionis utebatur, nunc autem in formam syropi reducitur, ac quasi multorum aliorum syroporum materiam excipit: ac de eo quidem loquemur in eo loco, ubi ex proposito de medicamentis tractabimus. Nunc autem iuxta Hippocratem de eo disputabimus, quod in formam potionis redigitur, neque ab aqua mulsa in alio differt, quàm quòd acetum accipit, & quidem in oxymelite, quod ad crassitudinem syroporum excoquitur: quatuor partibus aquę duas partes aceti, & unam partem mellis incoquunt, sed non est stata comparatio: nã si plus minus uinum lymphamus pro diuersitate palatorum & affectuum, magis id erit faciendũ in ipso oxymelite, quod est magis medicamentosum: utro-

uis etiam modo uti uolueris, & palati sui unusquisque faciē rationem dabit. Verùm pro diuersitate affectuum nemo aceti quantitatem mutare poterit, nisi qui & affectuum conditionē, & aceti uirtutē nouerit: at neq; id omnes sciunt: nā quia ex diuersis partib⁹ cōstitutū est, ab aliis calidū, ab aliis æstimatur frigidum: imò alius appellat ipsum acre, alius acidum, adeo ex diuersitate opinionum eius permistionem colligas: neque enim simpliciter acre ut sinapi, neque rursum acidum ut omphacium: sed ex pluribus acidis, quàm acribus partibus compositum. Nam propius accedit ad saporem omphacii, aut agrestę, quàm synapii: nec ex iis tantum est compositum, sed ex aliis partibus quibusdam ignauis: facilè hoc longa aceti decoctio ostendit: nam diutius percoctum, aut totam, aut maiorem suam uim acidam & acrem amittit: & quidem acrem, ut apparet prius, quòd in subtilioribus eius uis consistat partibus, scilicet ut cinis in lixiuio primo sic derelinquit suam acrimoniam, ut secundum fiat magis ignauum. atque hactenus cineris & aceti tēperaturæ conueniunt. Differunt autem in eo, quòd cineres nulla aciditate participant: atque hæc de primis aceti qualitatibus. Secunda eius uirtus duplex, incidit acrimonia, idem facit & sua aciditate: uerum acrimonia expurgat, aciditate sua purum corpus astringit & contrahit, corpora tamen neruosa egregiè mordet, uellicat, & magis tamen pectus, quàm uentriculum, quòd pectus magis mēbranosum, & ab aliis humoribus, qui uim aceti possint obtundere, purū. Itaq; oxymeli nō sine ratione nōnihil tussim prouocat, prēsertim crudū: nā cōcoctū mitius euadit. sed de iis omnibus paulò liberius in nostris problematibus, & de simplicium medicamentorum facultatibus. Nunc quidem ex iis facilè est colligere, quòd oxymeli multis modis sputū promoueat, quippe abstergit, incidit, & ut cholera intestina, ita acetum pectus ad expulsionem excitat & inuitat. Non potest autem sputum efferre, & anhelitum difficilem relinquere: nam materiæ tenacitas est quæ spiritum impedit.

TEMPORA uerò hæc habet.

OPPORTVNITATES melius reddidisset interpres. sententia enim est, quòd in hisce locis, quæ sequuntur, quis commodè atq; opportunò eo uti poterit.

QVOD ualde acre exiſtit, nihil mediocriter in his quæ non facilè educuntur, ſputis efficiet: nam ſi quæ intus exaſperant, educeret, lubricitatem induceret, & ueluti ſi guttur extenderet, pulmonem leniret: eſt ſiquidem ipſius mollitorium, quæ ſi contingerent, magnum adferrent iuuamentum. At interdrum accidit, cùm ualde acre fuerit, ut ſputum non educat, ſed uiſcoſum reddat, & adferat noxam.

VERBORVM figura facit ſententiam paulò obliquiorem & duriorem: eſt autem ſententia prioris partis, quòd oxymeli ualde acre ſemper magnum bonum, aut magnum malum affert: nec obeſt quòd Galenus alibi dixerit polychreſta ubique ſecura, ſed ferè in magnis affectibus ignaua: non enim oxymeli ualde acre ex iis, ſed magis eximiis medicamentis eſt. Itaque more aliorum grauium medicamentorum, aut præſidiorum, nuſquam mediocritatem ſeruat: eſt ubi craſsiſsimum ſputum attenuat, & expurgat: atque hoc quidem commodum nequaquam unum eſt, ſed pluribus modis ad Hippocrate commendatum: nam idem pulmonem, & aſperam arteriam lenit, & quodammodo liberaliorem facit: non poteſt enim humor, qui has partes oblinebat, euacuari, & aſperitas aut anguſtia manere: ſed neque ſputum poteſt oxymeli efferre, niſi concoctum & lubricum: tam multa aliquando bona præſtat oxymeli, in affectu ualde pertinace: uerùm eundem affectum aliquando pertinaciorem facit. Sed qua ratione Galenus inquirere apparet potius quàm definire, & tandem eius magnam ſiccitatem criminatur. Neque diffiteri poſſum, quin egregiè exiccet, & in corporibus atque humoribus ualde ſiccis difficultatem pariat. Verùm non uidetur eò Hippocrates reſpexiſſe, & quidem quò reſpexerit, dicemus poſtea: nunc uerò duplicem caſum dabimus, ubi oxymeli ualde acre, magnum adfert detrimentum. Prior eſt, ubi materia

magis frigida quàm crassa: hæc enim magis postulat incalfacientia, quàm attenuantia, talis est pituita uitrea. Alter casus est, ubi materia ualde crassa & cruda, & ad expurgationem nullo modo idonea: non enim expurgatio per uentrem, per nares suam opportunitatem habere debet, & quo uis tempore expurgationem à pectore moliri licebit, sed uel hic qualemcunq; oportet expectare concoctionē, priusquam ad tussim multam naturam uelis prouocare: nam multa hæc tussis naturam magis fatigat quàm recreat, & ut forsitan expurget quod est tenuius, ita reliquum reddit crassius. Quippe & alibi periculosum est tenuius ascribere, & reliquum relinquere: maximè autem periculosum, ubi natura ualde debilis: nam talis magis quietem ob imbecillitatem, quàm ullam uexationem postulat, atque oxymeli ualde acre potenter mouet, atq; hactenus euidenter naturam uexat. Quòd autem uiscosum faciat (quemadmodum dixit Hippocrates) nondum in totum obtinuimus, ac forsitan in parte obtinuimus: quoniam tenue à crasso separat, quod quandocunque euenerit, quod reliquum est, non solum redditur crassius, uerumetiam aliquando uiscosius. Accedit nobis, quòd multa tussis, difficultatem anhelitus, difficultas anhelitus, magnum æstum pectori adferat, quē quanta sequitur sputi uiscositas, antea demonstratum. Videte ergo quàm solerter & ingeniosè ab Hippocrate dictum; quòd oxymeli ualde acre sputum nunc feliciter promoueat, nunc cum multa difficultate retineat.

POTISSIMVM autem ita afficiuntur, qui maximè perniciosè habentes, neque tussire, neque quæ intus continentur, excreare possunt.

DVO sunt ægri, qui periculosè sese habent, & quibus uirtus admodum infirma, & rursum quos urget morbi magnitudo: nam nunc sub morbi magnitudine insignem & periculosam eius comprachendimus cruditatem. potest autem uterque casus nunc clam apud Hippocratem audiri. Nam quòd quis non tussiat, aut ægrè admodum, aut nihil extussiat, duplex est occasio, materiæ cruditas, & uirium inbecillitas: quippe uirtus imbecillis magis cedit quàm expellit, ne

que

que uirtus fortis materiam crudam eiicere sufficit. Iam non semper materia tussim excitat, sed tunc præsertim quando mouetur, siue à capite in asperæ arteriæ medium decidat, aut aliter in pectore concitetur: medium dixi, quia hoc affatim incidit, uerùm per latera paulatim atque hic motus rarius tussim facit. Concitatur autē maxime mane & uesperi, nec ullo tēpore homines frequētius tussiunt. denique materia quàm diu cruda, segnis est, & naturam magis obstupefacit, quàm lacessit: saltem natura raro illam mouere aggreditur: ii ergo sunt qui omnino ferè non tussiunt, aut certe nihil extussiunt, atque adeo quibus oxymeli ualde officere potest. Nunc quomodo iis ipsis oxymeli ualde acre sit, nimirum inquiramus: sed præstat primo ipsum audire Galenum: non enim ipse duos casus, quos nunc diximus, cogitat, sed tantum materiæ cruditatē spectat. Et quòd acetum quidem, atque adeo oxymeli ualde acre, materię melancholicæ sit aduersum, fortè etiam pituitæ magis frigidæ, quàm crassæ, ego lubens dabo: sed nequaquam ego puto illuc respexisse Hippocratem: nam raro talis materia in morbis acutis abundat: accedit quòd Hippocrates nihil tale posteà commemorat, sed duntaxat ipsas uires suspectas habet: & quidem rectè: nam nusquam minus oxymeli conuenit, aut periculosius existit, quàm ubi uires fractæ aut labefactatæ existunt, non solùm ob eam causam, quia à deploratis omnino abstinendum, uerùm ob eam rem, quia in conualituris, sed admodum impotenter habē tibus, potius uiribus quàm materiæ incumbendum. Atqui oxymeli non solùm uires iacentes nō corroborat, sed per accidēs egregiè fatigat: tussim enim magnā prouocat, quæ ferè magis quàm quiuis alius motus naturam exercet. Igitur oxymelite tantùm uti debemus ad extenuationem & incisionem, ubi uires tussim ferre possunt: iam esto quòd uires fortes sint, sed materia admodum cruda, utpote eximiè crassa, ne hic quidem oxymeli ualde acre conueniet: magis enim oberit naturam temere excitando, quàm proderit incidendo. Accedit quòd nihil educet, aut tantùm tenue, & aquosum: atqui ne hic quidem paruum malum est: nam & alibi, quando educitur duntaxat subtilius, reliquum efficitur pertinacius. Iam nequaquam debemus alibi expectare concoctionem ante purgationem, & hic contemnere: nam

ubique omnium eadem est ratio:igitur siue natura imbecillis fuerit,siue materia admodum cruda,nulla conuenit uexatio,sed quies & tranquillitas. uerùm alterum duntaxat uidetur respexisse Hippocrates,qui deinceps scripsit,

CVM hæc ita habuerint, uires hominis perpende:nam si de eo speraueris, dabis.

A deploratis omnino abstinendum,ne simul cum medico infamentur bona remedia : uerùm aliquádo uires licet infirmę , spem meliorem promittunt:atq; hic quidem quodammodo dissimulato morbo,uiribus indulgendum,non quód morbum omnino negligemus , sed ab his quę uires exercent,magis cauebimus. Itaque oxymeli quidem dabimus,sed parum acre,ut cōcoquat quidē,sed uirtutem minime moueat. Galenus rursum alió se uertit, & multam affatim concoctionem clàm timere apparet.mirabilis religio: nemo enim id unquam timuit.sed & omnino materia cruda citius suffocabit,quàm concocta.

CVM autem dare uolueris,perquàm tepidum,& paulatim dabis,& non largè.

OXYMELI multis modis redditur mitius:nam quātitatem potes minuere, potes etiā aceti portionem breuiorem facere,idem facit ipsa concoctio:nam antea dictum est, quód ipsa uires aceti diluat,& quodammodo frangat, itaque licet alibi hyeme calidum, æstate frigidum est dandum, hoc tamē casu uel æstate conuenit tepidum : nam frigidum concoctioni aduersatur , idq; diuersis ex causis,præcipuam Galenus neglexit. est autem ea, quód tussim prouocat, naturam infirmat , ac forte melius est dare utrunq; calidum, quia tepidum uomitum mouet. Verùm Galenus rectè sitim cauet , adde quód & ipsum calidum nonnihil mordet,& tussim ciet.

QVOD autem parū acre est,os faucesq; humectat,sputum educit,& sitim sedat,qua occasione hypochondrio uisceribúsque est beneuolum,& mellis inhibet noxas,nempe quod in melle biliosum est,castigat.

OXYMELI dilutius in plerisque locis utilius: nam & magis tranquillè materiam coquit, & modestius expurgat, accedit quòd os & fauces humectet: non enim satis est humorem concoctum esse, uerùm & partes per quas purgatio ire debet, decet esse leuissimas. Ita & uentrem quidem humectamus, remollimus, priusquã ex alto purgationem molimur, eodem modo aspera arteria leniẽda, ut excrementum per ipsam ascendat modestius, alacrius. neq; ad hoc multum debemus esse solliciti: nam ex se pleraque medicamenta pectoralia huiusmodi humiditate prędita sunt, atq; in hoc differunt ab iis, quę ducunt urinam: nam quamuis & hę partes neruosæ sint, tamẽ perpetua quadam madent lubricitate, neq; alienam humiditatem postulant: neque hęc sunt tantùm commoda oxymelitis dilutioris, accedit etiam quòd sitim extinguat: quippe unumquodq; ut est acrius, ita siccius. Hac ratione fortè & antea dictum est, quòd aqua mulsa magis sitim extinguit quàm oxymeli. Possem etiam econtrario dicere, quòd alibi oxymeli magis sitim mitiget, quàm aqua mulsa: nam sitis diuersas causas sequitur, aliquando caliditatem, aliquando siccitatem: atq; hanc quidem magis sedat oxymeli quàm aqua. Omitto quòd per accidens aqua mulsa in multa siccitate sitim accendat, quando in bilem euadit. habet & aliud commodũ oxymeli, quòd uiscera subinde reserat, quæ aqua mulsa per accidens obturat.

FLATUM preterea discutit, & urinas mouet.

DICERE non possum, an hoc sit priuilegium oxymelitis mitioris, an commune utrique: & quidem mulsa per se ferè flatum suscitat. necessum ergo est, ut oxymeli ratione aceti flatum distingat. Verumtamen rursum magis quàm aqua mulsa infrigidat, ac fortè hac ratione flatum mouet. Sic aqua mulsa frequẽter per se obstruit, sed ut antè diximus, oxymeli per se aperit: sed fortasis iterũ multum acetũ, sua frigiditate & siccitate magis astringit, quippe & uentrem aliquando cogit.

SED partem intestini imam reddit humentiorem, facitq; ramenta.

NON

NON potest oxymel lenire pulmonẽ, asperã arteriam, & exiccare uentrem: ac fortassis inferiorem intestinorum partem magis diluit: quia acetum, quod siccum est, sepe aliqua ex parte uirtutem amisit, priusquam eò peruenit: nihilominus enim concoctio interna, quàm externa ipsum diluit. Forsitan Hippocrates humiditatem, quæ à uentre ab raditur, respexit: ita enim uentrem humidum appellamus, qui multam humiditatẽ colligit & excipit: excipit autẽ maiorem pars inferior quàm media, aut superior: nam excremẽta à superioribus plerunque deuoluuntur ad inferiora, rarò autẽ inferiora sua transmittũt ad superiora. Simpliciter ergo aqua mulsa magis deorsum agit, aut uentrẽ diluit quàm oxymeli: & rursum magis dilutum oxymeli quàm ad modum meracum: nam acetũ ex se magis astringit, uerùm econtrario impurum uẽtrem magis mouet oxymeli, quàm aqua mulsa: nam aqua mulsa duntaxat obiter intestina lauat, oxymeli uerò ratione aceti altius penetrat. nondum tamen dixerim, an hoc magis faciat oxymeli acre, quàm dilutum: nam rursum acetum liberaliter assumptum sua frigiditate & siccitate magis astringit. sed is est sermo qui sequitur.

INTERDVM quoq; & in acutis morbis hoc est inutile & potissimum, quod non flatum modo foras prodire uetet, uerùm quoque & reuerti faciat: præterea & maximè uires frangit, & extremas infrigidat partes.

INTESTINA à natura & mucco quodam, & pingui interius strata sunt, ne à duritate fecum, aut aliis humoribus obiter patiatur: nusquam ergo oxymeli promptius ea deradit suo lõgo usu, quàm in morbis acutis, quòd biliosi, qui iis morbis laborare solent, mundissima ea habeant: nã procacitate sua bilis nunquam diu saburram in uentre tolerat, aliquando etiam secum muccosa & pinguia deradit. atque hactenus duntaxat exterior illorum facies perstringitur. Verùm oxymeli superueniens sæpe in profundum agitur, atq; ipsam intestinorum substãtiam carpit, non sine

dolore,

dolore: quo fit ut uenter aliquando omnino ſubſiſtat, aut certe tardius eat: nam tametſi alibi dolor multitudinem aduocet,& excipiat, tamen ubique natura horret, & cauet excrementum ducere per locum dolentem: quippe dolentes particulæ quicquid poſſunt à ſe reiiciunt:ut proximę ergo particulę,aliquando per conſēſum afflictæ, ſanguinem & reliquos humores uomunt in locum affectum,ita econtrario aliquando locus affectus excremētum quod per illum uenire ſolebat, à ſe repellit, atque inteſtina interdum ſurſū propellunt.Proinde ut grauior in inteſtinis ulceratio cauſa fluxus exiſtit,ita lenior ibidem dolor aliquando ipsū uentrem cogit, & flatus fortè fortuna genitos retinet,aliquando ſurſum remittit:qui quantum uires frangit,ex dolore colico diſcere licet; eſt autem imbecillitas uirium ſuſpecta alibi,maximè tamē in morbis acutis, propter morbi magnitudinem: maximè autem earum impotentiam arguit extremorum frigiditas,quia nuſquam niſi in extremis anxietatibus ſpiritus & sāguis ad interiora recurrūt;quod ſi id propter magnam caloris naturalis inopiam euenit, iā ferè ęger proximus morti exiſtit.

ET hęc ſola eſt quam nouerim,oxymelitis noxa,quę ſcribi digna ſit.

IMO ne hoc quidē poſtremum uitium admodum frequens eſt,ſed Hippocrates uidetur potius quę poſſunt nocere, queſiuiſſe, quàm quę frequenter offendunt, diſſeruiſſe.

EXIGVVM autem eiuſmodi potum, nocte quidem & ieiuno ante ſorbitionem dare expedit,quanquam & à ſorbitione,modo longum interſit tempus, nihil uetet bibere.

MEDICAMENTA ſolutiua,non ſolùm uentrem uacuum poſtulant, ſed & uenas mezaraicas,per quas humor ex alto trahitur:ita & medicamentorū quę ſudorē mouent,urinam,menſes,hemorrhoides, unica eſt differentia, quòd nec poſt ſolutiuum aſſumptum,quarta, quinta hora, quicquam accipere deceat,ſed omne alimentum tantiſper differre,

differre, donec medicamentum suo munere functum fuerit. Verùm reliqua medicamenta pauló pòst cibus excipere potest: non enim ipsa quicquam ad uentrem trahunt, sed per se ad superiora festinãt. Multò liberius assumuntur reliqua medicamenta, attenuantia, dissecantia: nam hęc quoque una aut altera hora ante cœnam accipere licet, modo sorbitio in prandio fuerit tenuior, & uerisimiliter uetrem reliquerit: nam dum ipsa in uentre moratur, interim medicamentum mezeraicas, & hepar transmittit. Non tamen simul & sorbitionem, & medicamẽtum eodem tempore accipere licet: primùm quia ut in ciuitate aliqua, ipsorum morum, ita ciborum diuersitas, facit seditionem in uentre: proximior causa est, quia uis medicamentorum à cibo confunditur, aut certe ignauior redditur, ne nunc dicam, quòd aliquando medicamentum ipsum cibum uiolat, uel per uẽtrem subito pręcipitat, aliquando etiam pręcociter ipsum secum in corpus abducit. Non ergo hęc tantum obseruari debent in assumptione cremoris ptisanę (quam nunc sorbitionem Galenus appellat) sed & ipsius ptisanæ & cuiusuis alterius cibi.

QVI autem non sorbitionibus, sed potu solo utuntur, his non semper oxymelite uti expedit, maximè quidem propter intestini, uel abrasionem, uel diuexationẽ: nam cum stercore uiduum & destitutũ sit, uacuæ item uenæ atque sublatę, à melicrato uno citius hæc inducuntur.

NON est admodum tutum, perpetuo morbi decursu oxymelite uti, pręsertim admodũ acri, propter abrasionis, quod antè diximus, periculũ: nam antè dictũ est, quòd oxymeli, ratione aquę mulsæ, utcunque uentrem detergit: detersum autem oxymeli ratione aceti penetrat: omitto quòd aqua mulsa uentrem minus moneat, atque uires infirmet.

QVOD si potum hunc & quidem multum per totum morbi tempus profecturum existim

existimaueris, paulum aceti affunde, & tantum ut duntaxat sentiri possit: sic enim quæ lædere solebat, minime lędet: & quę adiumẽto indigent, iuuabit.

EGENT perpetuò oxymelite siticulosi, & multa cruditate afflicti: proinde iis unicum est remedium, idq; solum, ut oxymelite utantur parum acri.

VT autem in summa dicatur; quæ ab aceto est aciditas, picrocholis magis quàm melancholicis prodest: amara siquidem soluuntur, desciscuntq; in pituitam, cùm ab aceto ipso in sublime attolluntur, & multiplicantur: nigra etenim educit acetum.

ACETVM pugnat cum cholera, ferè utraque qualitate: conuenit cum melancholia altera, demolitur autem & aliter choleram, utpote quam rarefacit & attenuat. Hoc est quod nunc Hippocrates tectioribus uerbis dixit, amara in sublime attollit, dissoluit, & in pituitam traducit. Nam quę attenuantur & dissoluuntur, quodammodo in sublime attolluntur, dum intumescunt & rarefiunt. Eadem ratione quodammodo ad pituitosum tendunt, utpote, quæ aquiosiora, atque adeo frigidiora fiunt: nam sæpe antè dictum est, quòd bilis naturalis aut cõcocta, frigidior cruda. Sic & ipsa melancholia fermentatur, hoc est, in altum attollitur, rarefit aut dissoluitur ab aceto. Forsitan fermentum ultra hæc significat quid spumosum: ita enim dicimus, quòd uera melãcholia in terram effusa, terram fermentat, & in eadem ampullas excitat: nã sua ariditate terram radit, & secum cõmiscet, in qua commixtione ferè spuma & ampulla excitantur, multo magis in corpore, ubi humida inuicem miscentur. Hoc ergo communiter patitur melancholia, cum cholera ab aceto: sed est differentia, quòd melancholia ab aceto multipliciter generatur: frigiditate enim sua & siccitate ipsum hepar refrigerat & exiccat, atque ad generandam fęcem melancholicam opportunum reddit, quæ deinceps

inceps facilè in ueram melancholiam euadit.atque hactenus quidem sententia nullam difficultatem relinquit. Verùm nouissima appendix obscuritatem multam habet, ubi dicit,Nigra enim educit acetum:nam si quidem idipsum faciat,uehementer in affectibus melancholicis commendanda eius opportunitas, tantum abest, ut uituperari debeat. Habet Hippocrates:ἀνάγωγῷ, pro quo reliqui interpretes: traducunt,gignunt:mallem ego interpretari, sursum fert: uerùm & hoc nunc quodammodo superfluum,quia antè dictum.Nec est facilius dicere,ecquid Galenus in commento bilē nigrā, acidā definit,quàm diu corpus malè ualet. fortè respexit Hippocrates,quòd in morbis melācholicis magis superfluit,& reliquis humoribus minus immiscetur,quippe id magis euenit tempore sanitatis, ubi omnes humores suam proportionem retinent.Sed quid ergo facies,ubi dicit tempore sanitatis hanc choleram magis acidam? non enim id asserere potest de naturali melancholia,hoc est,fece melācholica: quoniā hæc nulla aciditate prædita est. nū quid ergo hoc uult dicere, quòd cholera adusta tempore sanitatis est magis acida, utpote minus corrupta. Sed rursum quia aliis humoribus magis miscetur, hinc eius sapor eximius nonnihil dissimulatur.

MVLIERIBVS autem longè magis, quàm uiris acetum aduersatur,nēpe uterum dolore afficit.

MVLIERES sæpe capiuntur affectibus ex utero,atq; his minime acetum conuenit:ratio est prompta,tum ex Galeno ipso,tum ratione ipsa,quippe similia prōpte perstringuntur à similibus:sunt autem uterus & acetum ambo frigida & sicca:accedit quòd frigiditas aceti, nequaquam simplex,ut aliorum multorum,sed subtilis, neque duntaxat exteriorem uiscerum phantasiam tentat,sed per omnia clàm sese insinuat.

DE AQVA.

AQVAE quæ in acutis morbis bibitur, aliud quidem nullum habeo quod concedam munus: neque enim in peripneumonicis

nicis tuſsim ſedat, neq; ſputum educit, imò cæteris minus, ſi quis aquæ potione perpetuò utatur. Verùm ſi inter oxymeli & mulſam, modicum aquæ bibatur, ob qualitatis potionum tranſmutationem, ſputũ educit, nempe intus inundationem parit, aliàs neq; ſitim ſedat, ſed amareſcit linioſa, ſi quidẽ linioſa natura exiſtit. Hypochõdrio præterea mala eſt, atque etiam peſsima, & bilioſiſsima, & uirium maxima labefactatio, ubi in uacuitatem uenerit. adde quòd lienẽ auget, iecurq;, ubi plegmone obſidetur, fluctuatq; & innatat: tardè ſiquidem meat, quòd frigida & incoctibilis ſit, neque aluum deijcit, neque urinas mouet. Atque ex eo quoque nocua eſt, quòd ſtercoris ſuapte natura expers ſit, quàm ſi pedibus frigentibus aliquando quis biberit: hæc omnia magis offendet, ad quoduis eorum impetum fecerit.

DE aqua alibi diximus in quodam ſeorſum opuſculo, quæ hic nolumus repetere: nam ne optima quidem aqua, de qua nunc loquimur, ullum beneficium præſtat in morbis acutis. quippe licet calidi & ſicci ſint, illorum tamen materia craſſa eſt, quam per ea quæ tenuia & propemodũ calida ſunt, oportet incidere, & attenuare: uerùm tantum abeſt, ut aqua eam extenuet, ut ſua frigiditate magis cogat & inſpiſſet: itaque multo minus quàm aqua mulſa, cremor ptiſanæ, aut oxymeli per totum morbi decurſum tolerari poteſt. Aſſumit autem ferè ubique exemplum Hippocrates pleuritidis, aut peripneumoniæ: quoniam inter alias interiorum uiſcerum inflammationes, hæ ſunt frequentiſsimæ, rara ſynanchia, rara phrenitis, rara inflammatio hepatis:

nam ut hepar officina sanguinis,ita sanguis in eo est ignauus,& ad inflammationes parum idoneus: omitto quòd ipsum suum onus sæpe in alias partes expellat,alterius autem saburram rarißimè excipiat:& quidem ad partes superiores aliquando multitudo sanguinis ascendit.Verùm partes pectoris utrarunque partium superiorum & inferiorum iniuriis sunt expositæ,atque uel hæc præcipua ratio est,quare in pectoralibus inflammationibus potius, quàm alibi à dextro in sinistrum,& econtrario reuulsiones sæpe facere cogimur:omitto quòd sanguis in pectore magis feruet quàm alibi.ecquid ergo mirum, quòd frequentius inflammantur partes pectoris,quàm aliorum uentrium?illud meritò admirari poteris,ecquid frequentius pleura, quàm pulmo obtinetur,quũ pulmo sit laxißimus, & ad omnẽ superfluitatem excipiendam magis quàm pleura idoneus:nunquid id est,quia pleura infirmior, pulmo autẽ tum propria natura, tum societate cordis ad depellendas iniurias ualidior? ita quidem mihi apparet:non ergo nunc id tantum scitis, quare in pectore frequentiores inflãmationes quàm alibi,sed & hoc,ecquid sępius in pleura quàm pulmone.Atque hęc est causa quare Hippocrates morborum pectoralium frequentius quàm aliorum meminit: omitto quòd in his magis quàm aliis aqua obsit: nõ enim solum materiam inflammationũ cogit, sed preterea spiritum difficiliorem reddit, nequaquam minimum ad detrimentum compendium, quando per se hic morbus difficultatem anhelitus inducit, ne nunc dicam,quòd rursum per accidens anhelitus difficultas sputum uiscosius reddat. Igitur in febribus acutis duntaxat conuenit, ubi materia concocta fuerit: est etiam ubi ratione delictorum priorum utiliter succedit: quippe oxymeli,aqua mulsa aliquando meracitate sua offendunt: oxymeli etiam aliquando ratione aceti partem nimis exiccat,abradit:aqua mulsa uerò sępe sitim excitat.utramque noxam aqua licet redimere:nam & abstersionem medicatur,lenit,& quòd exiccatum est,utcunq; diluit, & egregiè humectat: quippe post oxymeli bibita quodãmodo supernatat, quo fit,ut & sitim quę nascitur ex siccitate superioris stomachi promptius tollat, & nonnihil quoq; ipsum pectus sua affinitate humectet,maximo profectò ad facilitatem sputi compẽdio.Itaque aqua ab immodico usu oxy-

melitis,aut aquę mulsæ duo facit,priorũ poculorũ uitia re prehendit, & simul stomachũ,& proximas pectoris partes quodammodo diluit:alibi non solùm sitim non sedat, sed potius excitat:etenim amarescit, hoc est,in bilem euadit: atque id quidem pręcipuè euenire puto, ubi paulatim assu mitur: nam ut ferrum modicè aqua dilutum magis stridet, ita modica sępe aqua magis accendit. Galenus putat idipsum illi euenire,dum in uentre diutius moratur. Verùm propter eos qui aquam negant nutrire, dicere poteram, quòd nequaquam aqua sitim excitet,quia in bilem euadit. sed potius quia materiam cogit, atq; rebelliorem reddit, deniq; nõ quidem in omnibus corporibus ita euenit, sed biliosis, ac biliosis affectibus obnoxiis, ubi facilè antiperistasis frigidi calidum accendit:iis ergo modis aquam biliosissimam audire oportet: nam certum est, quòd mulsa multo biliosior existat, ac aqua per se citius in sanguinem quam choleram abeat.cætera faciliorem expositionem ad mittunt. Nam si paulò antè aqua periclitabatur,ne in uentriculo mutaretur in bilem,multò magis idipsum illi timẽdum est,quando peruenerit ad inflammata hypochondria, præsertim quum uel per se diutius in hypochondriis moretur omnibus:& quidem eius rei causam promptius nos dicemus,quàm Galenus,qui aquam ipsam crassarum partiũ putamus.Verùm & inter ea quę subtiles habent, magis morantur frigida quàm calida: frigidum enim ignauum & segne,calidum sequax & mobile.Ac parum esset si id faceret tantùm,uerùm præterea sua cruditate reliqua uiscera frangit,adeò neq; alia cõcoquit,neq; alia cõcoquere permittit, tantùm abest ut ipsum concoqueretur.Proinde nescias an optabilius sit,quòd diu in hipochondriis,atque primum in ipso uentriculo moretur,an quod per corporis meatus pręceps eat:& quidem melius est ipsam nonnihil in uentre erudiri,& ruditatem suam deponere, priusquam ad hepar ueniat:neque enim minimum illi à frigiditate aquæ periculum: quippe concoctionem eius turbat, & ad sanguinem melancholicum opportunum reddit:quò uidetur alludere, quod quidam in sympossiis iactant:uinum mox lymphatum lepram parit.Huc accedit quòd magis nocet & infirmet uacuo uentre,quàm gustato alio cibo:nam prior cibus & potus nonnihil aquam ipsam in uentre detinent, donec quo-

dammodo multa illius frigiditas repræhensa fuerit, ac tantùm naturæ debemus, quæ eam pauló lentiorem fecit: non est ergo mirandum, quód ægrè, & non nisi tandem per uesicam descendat: sed mirum est, quód à uentre abstineat, quum humida uentrē abluere solent: uerùm frigiditas eius est in causa: nam possunt abstergere humida calida, nunquā tamen frigida: utrunque incōmodum Hippocrates bis notat: neque enim est aliud uentrem abstergere, aliud saburram mouere. forte igitur, ut sæpius diximus, hunc librum Hippocrates non perfecit, sed priusquam collimauerit, interiit, quod & plerisque aliis scriptoribus euenit. Forsitan etiam priore loco per uentris ductum, humorum in intestinis leuiorem abstersionem intellexit, ut sic sit sermo, Non solùm non humores non abradit, sed neque eius fecem detergit: atque id quidem de ea re intelligendum est, quàm diu frigida fuerit: nam tepida nonnihil abstergit, atque ea aliquando uel sola utuntur in clysteribus, ad abstersionem humorum cholericorum. atque hactenus aqua peculiariter ac per se nocet. Quód autem offendat in principiis paroxysmorum, ubi frigus exercet, commune id illi est cum omnibus aliis poculis & cibis: nam quodlibet istorū febrem prolongat, atque eius consistentiam procul distrahit: non enim antea paroxysmus desinet, quàm materia coniuncta fuerit putrefacta: nūc omnis potus saltem actu frigidus, putredinem remoratur, omitto quód & altero modo naturæ repugnet, & humores quodammodo intro repellat, quos natura in principio paroxysmi foras agit: quomodo & somnus in principio obest, & uigilia prodest, nescio tamen qua ratione nunc eius Hippocrates meminerit, non enim hoc ad morbos acutos, sed solas febres intermittētes pertinet: nusquam enim acutę cum frigore accedunt. Sed credo obiter ex communitate rerum dictum: ita enim scriptores aliquando quod occurrit, leuiter adnotāt, licet minus ad propositum pertineat, ueriti, ne alibi excidat, atque ita profecto decet, quando ad insignē aliquam utilitatem pertinet.

CVM uerò in his morbis fortem capitis grauitatem, uel mentis lęsionem suspicatus fueris, à uino penitus est abstinendum,

aquam

aquãq; dare oportet, uel uinum aquosum, fuluumq;, & penitus inodorũ, atq; ab ipsius potione aquæ exiguum superbibẽdum: nempe hoc modo uini potentia caput mentemq; minus feriet.

VINVM facilè ferit caput, idq; partim sua caliditate, partim uaporis multitudine. Sunt autem plures cerebri operationes, ac potentiæ, inter quas nunc mentis meminit, uel quòd sub ea omnes operationes intellectiuas comprehendat, uel quòd ipsam mentem atque intellectum citius uiolet caliditas, quàm quæuis alia qualitas. Nec tantùm uinum caput percellit, aliquando etiam ipsum oxymeli, meracum, & magis aqua mulsa, si fortè fortuna caput imbecille fuerit, ac calidum, aut aliter doloribus obnoxium. Hoc ergo tertium incommodum est, propter quod aquam exhibere debemus, modò natura & consuetudo ferat: quòd si natura abhorreat, aut aliud impediat, uinũ oportet dare aquosissimum, tenuissimum, ac minime odorum. Nam unumquodque ut plus habet odoris, ita caliditatis: sed aliter uinum odorum caput ferit sui uaporis multitudine, hac de causa & crassa uina caput feriunt, tametsi parum calida existũt: nam quia diu in uẽtre morã, caput implẽt. Rectè ergo aquosum consulit, non tantùm quia parum calidum, sed quia idem tenuissimum, idem etiam album. Verùm fuluum Galenus indignatur adscriptum: ferè enim hoc calidũ est, quod manifestè arguit uinorum ætas: nam procedente tempore, ut fuluiora, ita & calidiora euadũt. & fieri potest, quòd Hippocrates obiter scripserit, expuncturus proculdubio, siquidem ipse superuiuens recensuisset. Sed & fuluum minus, quàm flauum multi audiunt, & potuit fuluum quasi in fuluum tendens accipere: denique & fulua pallida, flaua rubicundis minus calida: itaque talia uina uino assuetis concedi possunt, modò uel ii posteà aquam superbiberint: nam hæc & caliditatem priorum poculorum restringit, & stomachum astringit, non sine maximo euaporationis remedio, quòd astricto stomacho, fieri non potest ut multa sequatur euaporatio: tantò magis confert aquam superbibere, quàm uino miscere: nam uino mista, sæpe diutius uinum in uentriculo

retinet,atque hac ratione ut (uulgo dicitur) aliquando magis inebriat. Posterius uero sumpta, quasi à tergo aquam impellit,accedit quòd uino mista stomachum magis clàm exoluit,quàm astringit:econtrario uerò sola sua recenti frigiditate magis astringit,quàm offendit.

IN quibus autem affectibus aqua maximè utendum sit,& quando ualde multa, & quando modica,& quando gelida,& quãdo calida partim anteà dictũ est,partim suo dicetur tempore.

IN quibus affectibus aqua utendum sit, aliqua ex parte dixit.possumus adiicere, & in illis conuenire morbis, qui egregiè biliosi existunt, utpote erisypelatibus, & id genus aliis.Verùm ubi calida,ubi frigida,ubi multa,ubi pauca,nõdum dictum inuenio:sed neque alibi asscriptum est posteà, nisi de balneis audias. Fortè ergo & hunc sermonem per prçmaturam mortẽ imperfectum reliquit: nam dum inter commentandum autores aliquando ad alia tanquam magis necessaria festinant, tanquam dicta aut dicenda quædam ad memoriam adnotant,quorum posteà omnino obliuiscuntur,præsertim quando paucam difficultatem continent:est tamen boni commentatoris officium, præsertim propter scrupulosos quosdam homines,huiusmodi hiatus implere.Et, ut ad propositum redeamus, morbi acuti plerunque frigidam postulant, utpote utraque qualitate cum morbo pugnantem:aliquando tamen corpus macilentum exangue, frigidam non fert:ita & tempus,& regio aliquando magis amat calidam,nec est desperandus in eo frigiditatis affectus:nam hic clam sese insinuat,& sub tepore refrigerat:quippe alioquin uel ubi aqua frigida accipitur, priusquam ad hepar peruenit,tepida efficitur: tepidam tamen,aut egelidam raro exhibemus, nisi ubi uomitum molimur:facilius est dicere,ubi multa affatim,ubi pauca paulatim utemur:nam in his affectibus qui eximiè calidi sunt, affatim uti oportet:qui uerò magis sicci,paulatim:nam siccitas multò potius obruitur quàm diluitur: caliditas uerò multa,pauco accẽditur. etenim in humido habitat,argumẽto hectici à cibo:sed & fabri ferrum aqua immergunt obi-

ter,ut posteà magis strideat.Hactenus ergo nihil non explicatum,nisi quòd commentum Galeni in principio sit paulò obscurius,plus tamen in eo est perplexitatis,quàm utilitatis.Summa enim est, quòd non rectè Erasistratus Hippocratem,aut discipulos eius taxarit,quasi nunquam multam aquam ægris permitteret,& duntaxat minimum cyathum exhiberet:non enim ipse insinuat,quòd aliquando duntaxat multa sit utendum,sed ualde multa,quamuis multa per se satis excuset Hippocratem,ac prodat calumniam Erasistrati.

DE reliquis potibus,cuiusmodi est hordeaceus, & qui ab herbis uiridibus, & ab uua passa, & uinaceis, & ex tritico, & cnico, myrtisq;,& punico,atque aliis parantur cuniliorum aliquo uti, tempestiuum fuerit, in morbo ipso scribetur, ubi & de compositis agetur medicamentis.

QVVM tritici & hordei meminit,uidetur ad zythum Aegyptiorum alludere,qui dicente Plinio,ab Hispanis cerea,à septentrionalibus appellatur cereuisia: ita, & uinum myrtilorum,& granatorum ab antiquis parabatur: sed & ex multis aliis rebus immaceratis,pocula cõficiebãt,quibus etiàm utebantur tempore sanitatis,quomodo & hodie quidã utũtur cereuisia absynthite: uerum qui ex cnico fit, medicamentosus potus est,& stercorarius, nec minus, qui ex maceratis,aut decoctis herbis uiridibus paratur:talia enim nostra in aqua mulsa aut oxymelite decocta sunt, ad concoctionem morborum comparata, rarius ex uinaceis, aut uuis passis, & uel hodie macerato uuarum passarum cum uoluptate utuntur quidam.

DE BALNEIS.

BALNEVM plerisq; in morbis utentibus confert,in his quidem assiduè, in aliis uerò non:estq; quando minus utendum sit,

propter hominum inapparatum:nam in paucis domibus parantur necessaria, reperiunturq; qui rē ut oportet, curant. Quòd si exactè quispiam non lauetur, non mediocrem incurret noxam: tecto siquidem est opus, quòd fumo careat: copiosa item aqua, & crebro lauacro, sed non ualde largo, nisi res ita postulauerit.

BALNEORVM usus est, ut quod sub cute est, modice expurget, solida humectet, calida clàm refrigeret: nihil est istorum quod & febricitantibus, & sanis non conueniat: sanis quidem, nā nulla est particula corporis, quæ cum suo alimento nullum colligat excrementum, quod in primis quidē diebus posset conténi, sed posteà quantū mali adferat, disces ex chiragra, podagra, calculo, lapide, cācro: expedit & sanis partes solidas refrigerari, & humectari, non quidē semper, sed post laborē & exercitium. Hi uerò qui febribus acutis laborant, ferè semper refrigerari & humectari postulant, sed non semper tolerāt: nam in febribus ex crassa materia nihil effatu dignum euacuant, sed magnam seditionem in humoribus excitant. Itaque in febribus tertianis exquisitis, Galenus à principio balneum consultum habuit, in illigetimis uerò atque impuris, non nisi post concoctionem admisit: nam sæpe est, ubi conuenit: sed ut est morosū, sæpe ad eius usū multa desunt: neq; enim quilibet locus æquè idoneus est ad excipiendum soliū, in quo quis se lauet, sed nunc amplior æquo, nunc fumosior. Neque una opus est aqua, sed uaria, atque ex qualibet multa, ut subito attemperari possit, nunc in calidius, nunc in frigidius: ferè autem euenit, ut in priuatis balneis aliquid desideres: nam ut tibi abunde suppetit aqua, ita sæpe deest familiarium diligentia. Nihil istorum est quòd non totam balnei utilitatem sæpe uitiet: nā quod uulgò dicitur, qui in uno deficit, in omnibus peccat. Hoc præsertim in hac re depræhendes: quippe unicus fumus aliquando plus adfert mali difficultati anhelitus, quàm totum reliquum balneum sua refrigeratione

geratione aut humectatione, commoditatis. Ita non sine magno incommodo æger diu feret balneum æquo calidius, aut frigidius. Sed & in absterſione multum eſt periculum: nam neglectior corpus periculosè refrigerat, & rurſum exquiſitior nimis exiccat. Ita & ipſius unctionis debet eſſe multa in balneo obſeruatio: totum enim balnei uſum perdit, ac præterea aliter corpus malè afficit, ſiue præmaturius adhibeatur, ſiue ſerius, adeo à ueteribus bene dictum eſt, optimas res nunquam modum ſeruare, aut egregiè iuuare, aut egregiè offendere. Ita & hoc obſeruandum eſt, ut qui in balneo aut ſolio, aqua perfunditur, potius frequenter id patiatur, quàm affatim: & rurſum potius celeriter, quàm lentè. atque ne hoc quidē omnes docti obſeruauere. Neque rurſum ſine noxa aut malo negligitur: nam multa certè, aut lenta perfuſio, corpus nimis refrigerat, celeris & frequens mediocriter afficit: eſt tamen aliquando ubi multa perfuſione opus eſt, ac celeri, ſed de ea nunc ſtatim.

ET magis quidem neq; abſtergendum: quòd ſi abſtergendum ſit, calido utendum multo copioſiore, quàm fieri ſoleat abſterſorio, perfundendaq́; aqua multa, & citò pòſt perfundenda.

ABSTERSIONEM] ſudoris intelligit. hęc uariis modis obitur: aliquando puluere mixto aqua, ut ſale, nitro, ac ſimilibus: aliquādo herbarum decoctis, aliquādo ſtrigili, interim ſpongia, nunc autem communiter linteo aliquo. Quocunq; autē modo fiat, magis ac magis ſudorem prouocat: quippe humor qui in meatu ſedebat, alterius acceſſionem nonnihil morabatur, & impediebat, quo deterſo ferè ſemper aliquid ſuccedit: omitto quòd & ipſa frictio ſuo motu aliquid per ſe allicit: tantum eſt periculū, nè multa abſterſio totius balnei uſum fruſtretur, atq; ipſa magis exiccet quàm totū balneū humectet: igitur ubi eximiā aliquā ex balneo humectationē expectamus, dūtaxat obiter ſordes corporis decet eluere; atq; demum leniter exiccare: quod ſi ob pruritum, aut aliam conditionem, grauioribus medicamentis abſterſoriis opus eſt, ea in multa aqua

calida confundere oportet, qua postea corpus eluere sole mus, sed multo copiosiore, & ne forte aliquid in corporis meatibus hereat, posteà multa aqua, eaq; pura, mox toto corpori affundenda est. Sed ut in fine commenti Galenus obscurè innuit, quantùm hęc ràtio, hoc est, multa aqua totius absterforii uires iuuant, tantum particularis medicamenti aquæ immisti potentiam frangit.

VIA ad solium breuis sit, facilisq; tum ingressus, tum egressus. Qui lauatur, componat sese, taceat, & nihil agat, sed cęteros tum perfundere, tum detergere sinat.

NIHIL horum trium admodum corpus exiccare potest, sed uide quàm anxie omnia obseruet.

MVLTAE quoq; aquę mixturę parēt.

LECTIONIS diuersitas sentētiam non mutat: est autem & per se, & ex iis quæ dicta sunt, manifesta: nā quia difficile aut calidius aut frigidius balneum fertur, multos modos calidę, frigidę aquæ circumponere oportet, uel ob eam causam, quòd tandē in fine paulatim frigidius balneum parandum sit, quod corpus astringat, & ab iniuriis externis afferat: hoc est quod in commento dixit Galenus obscurè, obscurius ipse interpres: est autem hęc sententia, quòd qui in balneo perfusiones posteà ex alto passur⁹ sit, multā debet habere apud se aquarum temperamēta, ac horum loco quidem ipsum balneum totum, hoc ėst, aquam balnei sinunt detepescere, sed cum minori sinunt credo utilitate, uel ob eam causam, quòd longa mora in balneo sit tędiosa.

CELERESQVE fiant perfusiones.

PLERVNQVE aqua in balneo sordescit, & hac de causa saltē honestatis gratia, in fine is qui lotus est, aliquoties aqua, nūc pl⁹, nūc minus perfūditur, ut priores sordes abstergantur. Non debet autem id fieri paulatim, lentè, ac multa aqua, sed ut antè dictū est, magna ex parte frequenter, celeriter, & pauca: nam saltem absterfio fit hoc pacto exquisitior, quòd motus sit alacrior.

ET spongijs pro strigili utantur.

OPER

OPEROSVM est,totum corpus strigili ex argento, aut simili materia radere, non sine periculo refrigerationis corporis: satius est igitur magna spongia affatim id præstare,uel ob eam causam, quòd & in spongia ipsa, nescio quid astrictorium sit, quod cutem cogat & claudit, ut postea uniuersum corpus ad externas iniurias sit magis pertinax & securum.

ET non ualde siccum inungant corpus.

RECTE cauet Galenus in commento, ne quis ex successione istarum duarum sententiarum putet corpus inungendum oleo,posteaquam mediocriter spongia fuerit abstersum:nam antea inungẽdum est: etenim spongiæ opus extremum.Verisimilius ergo est, quòd Hippocrates hanc adiecit sentẽtiam,ut suppleret, quòd antea balneo defuit: nam antequam spongia corpus abstergas,aut aliter sicces, oleo oblinendum est:est ergo tempus (ut Galenus in commẽto meminit)ad hoc opportunissimum, nõ quidem, ubi iam ęger longo tempore sudarit,aut rursum aridus existit, hoc est,anteà quàm balneum ingreditur, aut sudor nõdum incepit,sed quãdo rudimentũ aliquod, & initium sudoris apparet:nã à principio expulsionẽ excrementorũ prohibebit,& uix primas corporis partes emolliet:in fine autẽ corpus sæpe magis exiccatũ,quàm quod per inunctiones serio res humectari & recreari poterit.ergo opportunissimũ tẽpus,dum sudor incipit: nam eodem tempore excremẽtum mediocriter est expulsum: corpus etiam satis conniuet, ut ipsum oleum penitius accipiat, quod deinceps solida ipsa eleganter cum aqua ipsa humectare sufficiet. Quarę autẽ aqua ad hoc solum non sufficit, quum oleo sit tenuiorum partiũ, alibi dictum est, ubi oleum quasi uinculũ aquę desitum est: quippe aqua tenuis est,nec diu hęret, commixta uerò oleo,diutius insidet,rursum oleum crassius est:sed aqua in corpus intro penetrat,atque oleum secum adducit, ita mutuam inuicem prębent operam, aqua & oleum: atq; hæc quidem satis Hippocratem,atque adeo ipsum Galenũ in commento explicant. unus manet nodus isq; admodũ durus,ubi scribit Galenus paulò post principia, Bene tamẽ ægri corpus cùm humidum existit, perungendum esse cõstat, nisi quis dicat quod rursus hoc ipsum reficcat oleũ & aqua

aqua inexplicabilis ſermo,niſi pro perungendũ,exiccandũ legas, hoceſt, ξηραίνειν, pro ἀλείφειν, ut ſit talis ſermo, Corpus humidum ſiue ex ſudore,ſiue ex aqua,exiccandum eſt, ſpongia tandem: niſi quis dixerit quod oleum cum aqua ſub finem infrictum, ipſum ſatis exiccet. Scio quòd neque iſta metamorphoſis mihi omnem ſcrupulum ademit, ſed malo obiter adnotare, quod occurrit, quàm omnino diſſimulare.

CAPVT uerò ſpongia deterſum, quo ad maxime fieri poterit,reſiccare oportet.

PRAECIPVVM caput eſt,quòd in ſolio aut balneo aqua ex alto perfunditur.: hoc autem prę cæteris partibus ſtudioſiſsimè exiccare oportet, tũ quòd ęgrius id fiat, tum quòd ipſius refrigeratio ferè aliis partibus magis noceat. nulla enim eſt corporis particula pluribus uaporibus obnoxia, qui refrigerato capite, facilè multas deſtillationes concitabunt. Nec fieri poterit, quin inſigniter refrigeretur,niſi dilgenter exiccetur:nam & hic, & alibi aqua & ſudor relictus,facile per ſe refrigerantur,ipſa autem refrigerata non minus promptè, quàm periculosè ſuam partem, atq; deinceps uniuerſum corpus percellunt.Ob hanc fortè cauſam Galenus in commento ſcripſit,quòd non poteſt caput omnino & ſecurè exiccari, niſi mox ab ipſa perfuſione,quòd promptè ipſa aqua & ſudor in capite refrigerantur,& ob hanc quoq; cauſam potius celeres,quàm lentas perfuſiones fieri oportet,ita & exiccatiões & abſterſiones: quocirca ea commodius parantur ex linteo, quàm ſpongia.

NEQVE caput ipſum modò,ſed & extrema,& quãuis aliam coporis partem à frigoris iniuria prohibere conuenit.

GALENVS dedignatur quodammodo hãc particulam ſeorſum adiectam: & reuera nemo tam rudis & ruſticus, qui non diligenter partem omnem quam abſtergit, ꝑtegit,ac minuit,ne ab exteriore aëre nuda refrigeretur, nedum caput.ſed forſitan maius erit myſteriũ, ſi diligẽter omnes partes corporis, ad modũ capitis exquiſitè exiccari audiamus, ne uel in his partibus refrigerato ſudore,aut

aqua

aqua aliqua nascatur noxa.

LAVARI quoque is non debet, qui nuper uel sorpsit, uel bibit.

LAVACRVM sicuti & exercitium, frictio, euacuatio, debet excipere uentriculum uacuum: quodlibet enim istorum concoctionem perdit, sæpe etiam partes alimenti inconcocti distrahit.

NEQVE confestim à balneo sorbendum, neque bibendum.

NIHIL istorum est, quod non aliqua ex parte uentriculum lacessat: proinde tantisper cibum oportet intermittere, donec uẽtriculus quieuerit, atque iterum uires collegerit: neque hoc certo aliquo interuallo metiri datur, sed longius ab euacuatione, proximius autem ab exercitio, & balneo cibum accipere licet.

MAGNI autem admodum pendere oportet, si ęger cùm rectè ualuit, balneum ualde affectauit, & lauari fuerit assuetus: nempe tales magis appetunt, iuuantúrque cùm loti fuerint, adeo ut lædãtur, si non fuerint loti.

VBIQVE dissuetudo, corpus quadam insolentia afficit. Quid enim oportet dicere de neglecto balneo, uniuersi corporis: quippe uel paticularis faciei neglecta lotio, capitis pectinatio, hominẽ malè habet: causa est, quia balneũ, lotio, frictio, excremẽtum, licet momentaneum, tollit, quod neglectum insolenter naturam habet. Idem excrementum atq; amplius inuenies in his, qui nunquam lauant faciem, caput pectunt, sed rectè uulgò dicimus, quòd natura ab assueto nihil patitur. Ita quosdam malè habet stupor uentris, uno die quidem sine molestia, multis diebus saburram secum circunferunt.

PERIPNEVMONIAE autẽ magis quàm ardenti febri omnino cõfert: nã lateris pectorisq;, & dorsi mulcet dolorem,

sputum

ſputum maturat, educitq;,& ſpiritũ facilem reddit,tollitq; laſsitudines,mollit ſiquidem articulos,& ſuperficiariam cutem,urinas ciet,ſoluit capitis grauitatem,& nares humectat:tot ergo inſunt balneo bona,quibus omnibus eſt opus. Si uerò in apparatu re una,uel pluribus defectum ſit, metus eſt ne non proſit,ſed magis lędat,unum ſiquidem horum,quoduis fuerit, ſi à miniſtris non ut oportet,pręparetur,ualde lædit.

CERTVM eſt quòd Hoppocrates à principio aſſcripſit, aut certe ſubaudiuit pleuritidē, aut temerè adiecit in ſequenti particula lateris dolorem: nam his nihil ad peripneumnoniam attinet, dorſi autem dolor per conſenſum pleuritidis concomitatur magnitudinem,ſicuti & dolor iũguli. Non uidetur autem Hippocrates optimum uel hic dicendi ſeruaſſe ordinem : nam poſteaquam apparatum balnei,atque eius opportunitatem deſcripſiſſet,conſequens erat, ut generalem illius facultatem aſſereret, quæ quidem triplex eſt,humectat,infrigidat ſanioſas atque ſeroſiores ſuperfluitates,præſertim ſub cute,expurgat:atq; hac quidem ratione maximè in ſimplicibus & acutis febribus conuenit.Habet quartam facultatem,quòd particulas multitudine diſtentas laxat:atque hac quidem occaſione maximè inflammationibus conuenit,quippe multitudinem minuit,corpora mollit,& per conſequens dolorem multo tolerabiliorem reddit.ſed & ſputum maturat,atque ad excreationem promptius reddit, quia humores attenuat, & meatus in pectore dilatat, eadem ex cauſa ſpiritum faciliorem facit. Neque in pectoralibus tantùm conuenit, ſed & alibi eadē ferè ratione laſsitudines tollit:nã alibi dictũ eſt, quòd in laſsitudinibus ferè ſolida incalfacta, & exiccata, & nonnihil excrementis onerata,omnibus his tribus medetur balneum.Adiicit quòd & urinas ciet:atque id paulò mĩrabilius,quum,ut poſtea dicetur, ſæpe uentrem aſtringat.

Nec

Nec eſt tamen impoſsibile fieri utrunq;:nam uētrem aſtringit,quia humiditatem quæ uentrem lenire ſolet, abſumit, foras elicit,& rurſum urinam mouet,quia humores fundit: nam humorum fuſio urinam auget.accedit ad hęc quòd capitis grauitatem ſoluit,non quidem eam quæ propria cerebri aut uentriculi ſit intemperatura,ſed totius corporis uapore:eximiè enim hunc ad cutem reuellit.Non eſt tam facilè coniectari,quorſum adiecerit,nares humectat. nunquid & hic excrementum fundit,& quodammodo concoquit? atque hæc ſunt priuata balnei commoda, ubi in ipſorum apparatu nihil deeſt. Nam prout antè dictũ eſt, minimę rei deſiderium,totã utilitatem balnei uiolat:nam ſiue ſuo frigore,ſiue ſuo calore balneum ipſum ægrum nimis uſſerit, non eſt minimum periculum, non eſt minus diſcrimen in ipſa abſterſione,& totius balnei fumo.ſed & alia obſeruanda, quæ nunc ſequuntur.

QVI in morbis aluũ plus iuſto liquidiorẽ habent, ij nõ ſunt lauãdi,neq; hi quibus magis quàm decet, detinetur,& ſoluta non ſit, neque quibus uires exolutæ ſint, neq; nauſeabundi, neque uomiturientes, neque biliosã ructantes:nec quibus ſanguis è naribus profluit, niſi minus quàm decet, fluxerit. Quod autẽ decet,noſti:nam ſi minus quàm decet,fluat,lauabis, & ſi uniuerſum corpus, in cæteris & ſi caput duntaxat iuuerit.Si igitur apparatus hi cõuenientes fuerint,ęgerq; feliciter balneum ſuſcepturus ſit, quotidie lauare oportet.

GALENVS uiribus timet, & eſt generalis cautio, ut uiribus exiſtentibus infirmis,quacunq; etiam ex cauſa,nulla fiat euacuatio . Verùm mihi uidetur Hippocratẽ uel hoc timuiſſe,ne per balneum uenter fiat fluxibilior : nam ubiq; ſimile promptè offenditur à ſuo ſimili , & quod eſt per ſe molle

molle,facilè redditur lubricum. Ita nunc aliquando (ne mi rens) econtrario balneum durum, uentrem reddit duriorem,idq; per accidens, dum humiditates quæ uentrem leniunt,absumit, & ad se uocat. Hoc autem euenit,dum corpus egregiè rarum,& ad sudorem opportunum:nam est ubi in contraria constitutione corporis, balneum uentrem durum mollit.Ita & Auicenna, si recte memini, alibi uentrem durum,simplici balneo mollit, & ego in quibusdam feliciter me tentasse scio. At neque nunc Galenus causam adducit,cur duro uentri balneum noceat: tātum hoc asseri bit, quod fex prius prouocanda, quàm balneum ineundū: & id quidem est uerissimum, quando neque sanguinem mittimus,nisi uentrē prius iritauerimus,ueriti ne per balneum,aut missionem sanguinis aliquid absurdioris humiditatis ex uentre rapiatur in corpus: sed quid ad propositum?certum est quòd Hippocrates hoc timuit, ne balneum uentrem mollem magis lacesseret,& durum rursum magis contineret:ita unum & idem aliquando ad utrunque contrariorum ambiguum,pro diuersitate corporum:quippe & hac alium uentrem refrigerat, alium magis incalfacit, pro uentriculorum importunitate. Nihil ergo admirandū,quòd balneum quibusdam uentrem magis molliat, quibusdam induret:nam mollis uenter facilè emollitur, & rarum corpus facilè in sudorem funditur.Vbicunq; autem ferè sudor proiicitur,hic uenter sistitur:quòd autem defectę uires balneum non ferant, hoc est illi commune cum omni alia euacuatione.Nunc cur nauseabundi,aut uomiturientes balneum male tolerent,inquirendum est,quādo Galenus nullam eius in commento rationem reliquit. Neque scio an nauseam illam respexit, quæ ex imbecillitate uentriculi oritur,dum cibum indignatur.& ferri potest expositio: nam hæc nausea potius restringenda,quàm promouēda, iis quæ stomachum corroborant: uerum humidum ac tepidum balneum,ipsum magis laxat. Potest etiam referri ad uomitum criticum,& biliosum: nam huic respondet,quod de biliosa eructatione sequitur: ferè enim biliosum uomitum præcedit biliosa eructatio:huiusmodi autem uomitum, quemadmodum nec ullam aliam euacuationem criticam, perfectā scilicet,aut restringere licet,aut proritare,iuxta ea quæ alibi dicta sunt: utrunque autem balneum facere continget:

nam

nam in quibus mollior est stomachus, augebit: quibus uerò firmior, & corpus rarius, contrario sudore reuellet. Ita & quibus per nares crisis decedit, periculosum est balneum: nam plerunque eius impetum auget, erit etiam aliquando, ubi eius opportunitatem interrumpet, atq; reuellet, & quidem hoc per se facit: per accidens autem fluxum è naribus auget, quatenus humores fundit, tenuiores & fluxibiliores reddit: neque id solum facit totius corporis perfusio, idem aliquando facit solius capitis dilutio, & rarefactio. Nã multi sunt qui siue sub luna ambulant, aut sub ea dormiunt, diè sanguinem effundunt: ad hanc sententiam accedit, penultima pars huius orationis, sed ipse locus tam in Hippocrate, quàm Galeno uitiatus est, atque hi sunt casus qui balneũ prohibet: in reliquis (modo omnia cõmodè apparata sint) singulis diebus, inquit, lauare licet. atqui neque hoc simpliciter audiendum, sed de diebus intermissionis: nam in ipsa exacerbatione est periculosissimum. Sed & euacuationes, & signa concoctionis sæpe expectare oportet, de quibus omnibus posteà.

LAVANDI autem cupidos si quotidie bis laueris, nihil peccabis.

NESCIO quid mancum fuerit in prioribus sentẽtiis: nam nos eas perfectas habemus, ac fortè posteà ab ipso Galeno perfectę & completę: sed neque huius Aphorismi completionem conqueri debuit. nam ex aliis locis cõstat, quòd secunda lauatio uesperi, ante cibum, sicuti mane ante prandium, fieri debeat, uentre scilicet utroque tempore uacuo. Quare illi qui secundò lauare uoluerit, consultum est, ualde tempestiue & breuiter prandeat atq; omnino nihil aut nimium superbibat.

TVTIVS autem longe balneo uti possunt, qui tota utuntur ptisana, quàm qui solo utuntur cremore: quanquam & ii interdũ uti possunt, minime autem qui potu solo utuntur.

NON conuenit cum magna inedia, multa euacuatio, nec balneum cum tenui dieta: nam alibi scriptum, ubi fa-

mes, ne laborandum quidem est, sed hæc in suo loco: iam neque sic hæc anxie accipienda, quasi nunquam secus liceat: nam & ipse nunc, & posteà admonet, quod et illis qui solo potu uel cremore ptisanæ utuntur, aliquando balneũ liceat: imo aliquando plus his, quàm illis conferet, utpote quorum morbi ex tenuiore materia consistunt.

SVNT autem & ex his qui uti possunt: ex his uerò quę antè scripta sunt, quósnam in singulis uiuendi modis iuuaturum sit balneum, & quos non, conijcere oportet: nã quibus aliquod eorum quæ balneum & bonum reddere & iuuare possunt, deest, hos iuuare non expedit, etsi auxilij aliquid ex balneo speraueris: quibus uerò nihil deest, signumq́; ipsis adest, in quo lauare cõueniat, lauare oportet.


VT non omnes qui potu solo utuntur, deterrere â balneo decet, ita neque omnes qui ptisana tota utuntur, ad balneum licet admittere: sed tum in his, tum in aliis priores obseruandæ leges sunt: ex quibus omnibus una prohibere potest, omnibus aliis expostulantibus. Maximè autem prohibet corporis impuritas & cruditas: nam multos uel crassos humores balneũ magis turbat quàm euacuat, quocirca plerunq; satius est multitudinem tollere, & crassitudinem incidere, quàm eius uim præmaturè tentare: hac de causa & in ardentibus sæpius conuenit, & simplicibus febribus, quàm inflãmationibus: iam ut omnia respondeant, minime alicuius in apparatu rei desiderium ipsum dissuadet: paruus enim error ex quacunq; causa, totum balneum reddet uitiosum: ubiq; ita est difficile rebus pręclaris uti bene. Atque hæc quidem ad expositionem Hippocratis sufficiunt: uerùm multis modis moratur nos excursus Galeni, in commento. Primò duriter ab eo dictum est in principio cõmenti, quòd uigor morbi, sufficientibus uiribus, aliquando est cum concoctione: neque enim unquam uigor morbi

æstima

æstimatur, nisi qui signis concoctionis, atque adeo perfectæ definitur. nunquid concoctionem respectu suppurationis dixit, aut fortasis uigorē ad accidentia retulit? sed ne hoc quidem ipsum quicquam excusat, nempe & accidentium uigor in salutaribus morbis cum concoctione coniungitur. Nam & id quod sequitur, obscure dictum, ubi inquit, quòd si qualia oportet, expuere cœperit, subaudi, & magna eius pars reliqua fuerit. Neque hic quidem aut morbus aut symptoma augebitur, sed utrunque (ut innuit) paulatim minuitur: est enim hoc partim falsum, partim uerū. Est quidem uerum, quod dolor minuitur, tussis anhelitusq; difficultas simul cum ipso morbo, sed calor febrilis interim crescit, sitis, uigilia, & reliqua accidentia, quæ concomitantur rationem febris, ubi huiusmodi inflammationes paulatim excoquūtur & expurgantur. Rectius ergo dixit, quòd in inflammationibus quæ suppurantur, accidentia quidem crescunt, sed morbus ipse minuitur: nam tametsi distensio augeatur, interim materia magis & magis concoquitur. idem euenit in simplicibus plerunq; febribus, sed quomodo ergo mox subscribit, quòd in phlegmonis & uulneribus, in quibus pus effluit, simul ambo augentur, & minuuntur? nunquid nomine puris impropriè utitur pro omni excremento cōcocto? at ne sic quidem sermo absolutus: nam uel in his saltem ipsæ febres continuæ plerunque augentur. Saltem simplicius dixisset, in salubribus morbū cōtinuo minui, sed uniuersalia accidētia sępe crescere, particularia uerò decrescere. Iam neque id quidem bene cum eo conuenit, quod in primo Aphorismorū dixit, ubi inquit, quòd inflammationes in statu sint maximę, siue quis intelligat ipsam caliditatem, siue inflammationem. sed de his alibi: sequens particula commenti clariorem sese exhibebit, ubi in multa cruditate ac plenitudine ante euacuationes & concoctiones balneum cauet: nam & id nos antè satis explicuimus. Reliqua pars commēti respicit quendā locum in principio primi libri, ubi Hippocrates cōqueritur, multa à Gnidiis medicis omissa: atq; hic dogmatici ac rationales medici, putant Hippocratem intelligere locos affectos, morbos, causas: nam hæc ferè ægri ignorant. Empyrici uerò referunt ad suos concursus, hoc est, regionem, tēpora anni, ætates: nam & ipsi pro uarietate harum rerum curatiōnes

unius & eiusdem morbi uariant. Galenus etiam ea hic audit, quæ pertinent ad distinctionem temporum morbi, & aliorum symptomatum, quæ prius dicta sunt: nam uel secundum hæc & qualitatem, & quantitatem alimenti mutare oportet, quemadmodum anteà dictum est.

HIPPOCRATIS DE RATIONE VICTUS IN MOR. ACUTIS, LIBER IIII.



HRASIS & grauitas sententiarum obtinuit, ut ueteres omnes, priores tres libros citra controuersiam Hippocrati relinquerent: uidetur tamen illis defuisse extrema manus, adeo quædam iacent indigesta & incondita, quæ uerisimiliter in concinniorem ordinem digessisset, si superuixisset: nã moris est, ut scriptores prius rudimentum quoddam conscribant omnium rerum, quod posteà collimant: ita & pictores in primis lineas, peccatum postea castigant. Verùm ut quidam magnis immoriuntur extruendis ædificiis, ita ferè & scriptores suis laboribus: non enim omnes possunt recensere ac reparare, ac tales uerisimiliter fuerint ii tres libri. Quartum plerunq; putant fuisse potius discipuli alicuius, quàm ipsius Hippocratis, & tamen retinent; nam quædam loca Hippocratem redolent, quædam uerum quidem habent, sed Hippocrati minimè proprium: alia etiam omnino obscurum & falsum. Atque hæc est inęqualitas, quam in hoc libro obseruare decet.

CAUSUS, id est febris ardens, fit, cùm uenulę tempore æstiuo exiccatæ, acres & biliosas quæ tenues sunt, humiditates ad se traxerint.

NON omnis febris continua est acuta, sed biliosa tantũ: neq; omnis rursum biliosa continua, ardens, sed ea quæ

materiam

materiam habet admodum calidam,ac forsitan in magnis uenis cordi proximis, repositam:tamen Galenus illius generationẽ latius distrahit, & secũdo ipsam ex inflãmatione biliosa generat in carne , aut alia parte alibi sepõsita, inter na tamẽ.Sed nũc de simplice loquimur,quæ in uenis habitat:habet autem & hæc uariam occasionem,sæpius intemperaturam corporis sequitur , sæpius aëris intempestatem, aliquando ciborum & eximiorum poculorum caliditatẽ eximiam,est ubi sitis,inedia, labor primam occasionem dedit : ferè enim hæc omnia humores biliosos inflammant, aut eosdem multiplicant,qui quidem putrefacti, statim ardentem febrem exuscitant , atque is modus frequentissimus. Alius est causus , quem hic tradit . Hippocrates putat per laborem,per æstum uniuersum corpus,atq; adeo uenas exiccatas , ad se uicissim ex ipsa carne trahere acriores,& serosiores particulas , atq; id rarius euenit : nã econtrario ut Galenus cogitat, sæpius extrema trahunt ab ipsis uenis siue talis squalida fuerit affectio in una parte, aut in toto: atq; in toto quidem potest esse talis affectio , & humorum fusio , non potest tamen esse per totum una inflammatio. Nam inflammatio in carne externa non facit ardentem febrem,duntaxat interna, ipsorum uiscerum : uerũm ne hoc quidem modo aut hic,aut alibi frequentes fiunt inflammationes,sed sępius econtrario,ubi interiora in exteriora sese expurgant:est tamen aliquando,ubi econtrario ab exterioribus ad interiores humores regurgitant: sic euenit aliquando cachecticis,atque adeo per somnum: quo fit,ut interim post somnum deterius habeant quàm ante eundem, nimirum quando plures humores ad interiora recurrunt quàm concoquuntur: iam ut id est difficile crassis & ignauis humoribus,ita idem satis promptum acribus & serosis. Denique natura non semper sese expurgat in partes exteriores, sæpe iniuriam facit & interioribus generata multitudine.sed quorsum hęc?de simplicibus febribus loqui pro posueram⁹:quarũ materia in uenis aliqua occasione corrũpitur,atq; hic frequentissimus earũ euentus. Quæ autẽ ab Hippocrate hic scripta sunt,aliquãdo fieri possunt,sed admodũ raro. Et hæc est fortè causa,quare præ cæteris hunc modũ Hippocrates attulit , quia reliqui notiores existunt.

FEBRIS quoq; multa habet, corpusq; ueluti ab ossearia lassitudine habitum laborat, doletq;.

CONCINNIOREM ordinem seruasset Hippocrates, si quidem hãc sententiam primo loco scripsisset: nã ordo expostulat, ut prius describatur quid sit res, quàm quo modo fiat, præsertim quando una res pluribus modis fieri potest. Quòd si historiã eius febris, iuxta particularẽ euentũ, aut occasionẽ definire illi propositũ erat, debebat eã sententiã, quæ hãc mox excipit, omnino præponere: sed sequamur propositũ, in quo loco Hippocrates, aut quisquis eius fuerit discipulus, substantiã febris ardẽtis conatur reddere. Febris, inquit, est multa, hoc est, admodum magna, ut quæ ex humore nascitur præcalido: nec in quouis loco & ignauo, sed penitissimus, uenis etiam cordi proximis: forte hoc clàm insinuauit, quum eadem definiret ossearia lassitudine: hoc enim euenit, dum humores nequaquam foris circa carnem funduntur, sed in interioribus uenis luxuriantur: ita enim audies uulgo dicẽtes sibi uideri omnia interiora, ac totum dorsum confracta. Intelligit autem in hoc loco Galenus lassitudinem ulcerosam, & reuera ex bilis acrimonia, multis uel in penitissimis locis ulceris sensus oritur, ue runtamen & multitudine sua sanguis biliosus nonnunquã interiora distendit, & grauat ad quod adiuuat eius subtilitas. Proinde ego hic plegmonosam lassitudinem audire malo. ex ulcerosa & tensiua compositam, quãdo & ab ipso Galeno lassitudo plegmonosa, talem dolorem inuehit. sed hic de spontanea loquitur, illic autem laboriosa: proinde nunc parum refert, an de ulcerosa, an plegmonosa audias: nam tensiua & ulcerosa nunc magis extimas, nũc magis intimas fatigant partes, & utraq; cum febri ardenti committitur.

FIT autem magna ex parte longum ob iter, longamq; sitim, cùm uenulæ arefactę acres callidasq; fluxiones ad se traxerint.

ET has quidem occasiones, & alias quasdam febris ardens sequitur: rarò tamen eodem modo, quo nunc describit,

bit, sed eo modo quo paulò antè diximus.

FIT quoq; & lingua aspera siccáque, & ualde nigra, uentrisque morsus, ac dolor: deiectiones tum ualde liquidę tum pallidę fiunt, urgetq; sitis uehemens, & uigilię, atque interdum mentis aberratio.

QVID putatis, Galenus diceret, si in eorum qui hodie scribunt, incideret comentationes, quem duorum uerborũ male habuit preposterus ordo? nam apud illos sepe inuenias caput coniunctum pedibus: & tamen, quod merito mireris, ex iis sunt, qui sibi cum multo fastu literas Grecas, Latinas, dialecticam, rhetoricam uendicant, sed reuera nulla alia re quàm strepitu uerborum sonat, ac turgent. Proinde in declamatiunculis quibusdam, nunc harum, nunc illarum literarum, eos ualere putabis, sed alibi ubique futiles & ignaui: quamuis & illic illorum leuiores declamationes potius hęrent quibusdam coniunctionibus ineptis, quàm rerum natura. Atqui eum qui scribit, qui docet, semper eodem ordine disserere oportet, quo res nascitur aut inuenitur: ita enim nihil adscribet superfluum, nihil omittet utile aut necessarium, sed & disceptationẽ suam dabit explicatissimam, utpote in qua primum arguit secundum, secundum tertium, & ita deinceps: sic ut in ea postremum quodãmodo nascitur ex primo. talis est ordo qui primò describit rerum substantiam, secundo ipsa accidẽtia: sed & inter accidentia semper alterum alterius causa & principium, sic quoque asperitas sequitur siccitatem, neque omnis siccitas asperitas quedam est, sed duntaxat inequalis, quando hæc particula inæqualiter exiccatur. Sed nihil prohibet, quin eadẽ particula quæ exiccatur, simul humore aliquo oneretur, nõ quidẽ quouis, sed adusto & exiccato: nõ enim potest particula ipsa exiccari, & humor integer manere: ita ipsa lingua simul sicca, aspera, & nigra est, flaua, aut pallida pro ratione & colore bilis: uerùm fumus bilis facile aduritur, quippe & flamma quidem pallescit, sed fumus eius nigrescit. Eodem ferè modo cõtingit in febribus biliosis, linguã

tandem fumo bilis demigrari: sed bilis ipsa nunc continetur magnis uenis, aliquando pars eius excutitur in uentriculum; atq; hic non simplicem quidem, sed punctilem dolorem ac morsum inuehit. forte ergo & hic melius ordinem commutasset, ac prius dolorem, deinde morsum scripsisset: sed rarius est hoc symptoma: etenim raro cholera in acuta febre in uentriculum irruit, quod continua existit atque materiam suam in uenis circumscribit, neq; unquã dimittit, nisi ubi crisim cogitat, aut materia multitudine exuperat: ac iuxta hæc in aphorismis dictum est, quod talis morsus ante concoctionem periculum minatur: etenim morbi magnitudinem ostendit, aut importunam crisim. Eadem cholera aliquando ad intestina descendit, & deiectiones liquidas facit. procax enim est, & indignationem multam in intestinis facit. Debebant eædem fere esse & flauę, pro ratione choleræ: uerum dum alijs succis miscentur, color remittitur. Iam nõ omnis cholera flaua, quædam etiam pallida: durius uero est, quod Galenus in commento dicit, liquidas deiectiones statim esse crudas: nã & concocta bilis liquidas deiectiones facit, & cruda bilis crassior quàm concocta existit: uerùm quandiu materia in febribus cruda manet, non nisi tenuissimum ipsius decedit: postquã autem concocta fuerit, tota erumpit, atque hoc quidem respectu, deiectiones bilis quandiu crudę fuerint, tenuiores, quàm ubi eędem concoctę fuerint. In eandem sententiam & hoc dixit Galenus, quòd concoctio omnia cogit, incrassat, quippe si spectemus ea, quę in corpore fiunt, concoctio magis ac magis materiam extenuat: uerùm ea quę excernuntur, continuo crassiora euadunt: iam ne id quidem aut perpetuum, aut frequens in biliosis febribus est: nam sępius caliditate & siccitate febris, tenuiores in intestinis humiditates, quę intestina solebant lenire, absorbentur: ergo duntaxat illud euenit, ubi cholera copia sua exuperat, ac forte fortuna ad intestina declinat. Nec tamen abiens symptomata mala tollit, sępe grauiora inducit, sitim, uigiliam, delirium, & insaniam mouet, aut auget: etenim humores crudi magis mouentur quàm excernutur, moti rursum magis exercent aut uexant singulas particulas, quàm quieti: nam tractu magis incalescunt, & maiorem fumum edunt. Ne sic tamen hęc accipiam, quasi semper deiectio-

nes atque illas tantum sequantur:nam eadem sæpe sympto mata infestant,ubi uenter obsurdescit:facile enim caliditas uniuersum corpus percellit,siue in uenis consistat, siue inflammationem alibi committat. Verùm rectè hoc Galenus admonuit,quòd inflammationes hepatis & uetriculi sitim, in pulmone uero magis delirium intendant:magnus enim pectori cum superioribus consensus,qua ratione & in pulmonia magis quàm alibi maxillę rubent:quòd autẽ pulmonia pręterea difficultatem spirandi inuehat, per se notum est.

HVIC aquæ mulsęq; coctę,& aquosæ, quantum uoluerit, bibendum dabis.

NON dicit quòd debet mitti sanguis, quia hoc est omnibus febribus commune: uictus autem & medicatio unicuiq; speciei ferè propria est. Nec est facile eã in febribus ardentibus inuenire,adeo intentiones morbi & causæ pugnãt inuicem: etenim morbus requirit frigida & humida, utpote eximie calidus & siccus : causa uero, calida & attenuantia,utpote crassa, & tamen morbo magis incũbendũ. nam ipse magis urget sua qualitate,quàm materia sua crassitudine.Ergo optimum poculum erit aqua mulsa,non quidem meraca,sed aquosa:nec rursum cruda,sed cocta: nam licet cruda magis incidat,magis nutriat,cocta minus bilescit,minus inflat,ut quę partes acres & flatulentas inter decoquendum amisit. Neque hæc iam duntaxat potus aut cibi uicem obtinet,uerumetiam medicamenti: non enim solum nutrit,sed insigniter refrigerat & humectat,materiam quoque nonnihil abstergit,& attenuat.scio quòd magis refrigerat & humectat,quàm attenuat:uerum id maxime quę rebamus,quia nunc statim diximus, quòd hic magis urget morbus,quàm morbi causa , adeo ut ne sola quidem aqua mulsa , qualem diximus,per totum diem bibi possit, citra periculum inflammationis,aut alterius incommodi,sed alternatis inuicẽ uicibus, postquã quis semel,bis,ter,aquam mulsam bibit,cõsultissimum est,ut postea ipsam aquam superbibat: nam ut periculũ est,ne aqua sola moretur in hypochondriis,& materiam morbi reddat pertinaciorem:sic rursum periculum est,ne aqua mulsa sola, quantuncunque diluta, bilescat,calorem augeat, ac sitim incendat. Itaque

aquam mulsam prębibere decet, ut aqua uiam prę sternat & rursum aquam superbibere, ut aquā mulsam quasi à tergo impellat, & eius caliditatem attemperet.

QVOD si os amarum fuerit, uomere confert, & uentrem subluere.

INITIO paroxysmorū in febribus intermittentibus sępe conuenit uomitus, quia ut alibi dictum est, eò materia coniuncta magna ex parte influit: rarò autem ad inferiora intestina deuoluitur, quod maius sit compendium ab hepate, & mezaraicis ad uentriculum, quàm intestina: adde facilius, quod uel tempore sanitatis natura contrario ordine, per eadem tamen uiam, consueuit succum ex uentriculo illuc mittere. Hęc credo causa est, quare alibi scripserit Galenus, quòd tempore paroxysmi sunt mouendę superiores, intermissionis uerò, inferiores purgationes: non enim quamlibet superiorem purgationem consulit, sed duntaxat eam quę materiam coniunctam ex stomacho eruit. Iam neque inferiores sic purgationes prohibet, ut nusquam aliquam ex iis facere liceat: nam licet rarius, tamen aliquādo materia. coniuncta febris aut paroxysmi ad inferiora detruditur. atque hic loco uomitus, decet uentrem, clystere aliquo eluere, non quidem medicamentoso (nam neq; illic operosis uomitibus uti licet) sed leniore aliqua materia, fortè aqua tepida, aqua mulsa, aut simplice, aut in qua furfur maceratū aut decoctum est, quod obiter materiam cholericā ab intestinis possit deradere, aut abstergere, atq; id quidē in intermittentibus tantū: nā in acutis rarò materia uel huc, uel illuc excluditur, aliquando tamen ex dolore & morsu precordiorū ita colligim⁹, sed nō est hoc sufficiens ad moliendum uomitum argumentum: potest enim aliquādo perstringi os stomachi multa febris caliditate, & siccitate, absq; decursu cholerę. Rectè ergo oris amaritudinē obseruatnā hæc cholerā ad stomachū ascendere significat, quocirca iuxta antiquam dignitatem, quæ motum naturæ obseruare precipit, eam per stomachum efferre nunc cōsulit, & quidem meritò: nam ut in intermittentibus egregiè abbreuiat paroxysmū, ita hic multa mala symptomata corrigit. Eodem modo, si quādo pro morsu precordiorum malè habeat, dolor uentris intestinorum aliquibus, ex iis

qui

qui dicti sunt, clysteribus aut similibus, uentrem diluere oportebit. Ita quidem præsentem sententiam Hippocratis distinguere decet: nam quamuis Galenus dissimularit, nō est uerisimile, quòd Hippocrates, aut quisquis eius discipulus fuerit, in eadem febri, eadem die, & casu utrunque simul obiri cōsuluerit.

VERVM si ad hęc non soluatur, lacte asinę cocto purgabis.

OBSCVRVM relinquit sermonem, quisquis is scriptor fuerit, qui nūc quasi particularia quędā medicamenta cum lacte asinino commutat, quum tamen antea nullius istorum mentionem fecit, duntaxat in genere uomitum, & uentris dilutionem laudauit: ergo oportebit supplere sermonem iis quę diximus. nam ubique ferè à lenioribus remediis inchoandum est: quę si in proposito non sufficiant, lacte asinino, inquit, utendū est: uerū & hoc debebat definiri, an bibi uoluerit affatim ad uomitū, an ad alui subductionem tātùm, an fortè per inferiora iniici: nā in paroxysmis aut exacerbationibus nunquam per os dare subducēdi uētris causa ausim, multò minus uomitus gratia: quod ad hoc maior eius requiretur copia: credo quòd autor respexerit tempus intermissionis, in quo aliquando præ nimia copia ipsa cholera nūc huc, nunc illuc exuperat. Sed & hoc rectè à Galeno definitum est, quòd tutius sero ipsius, quàm integro lacte utemur: nam quamuis lac asininum sit frigidissimū, ac tenuissimum: periculū est tamē, ne uel ipsum hic bilescat ob morbi magnitudinem. Neque id nunc explicare debemus, quare potius utatur lacte asinino, quàm alterius animantis: nam certum est, quod id ipsum pręomnibus aliis magis soluat, utpote quod habet plurimum seri, sicuti uaccarum plurimum butyri, & rursum ouillum plurimum casei. Est autem solus serosus succus qui diluit: nam butyrum nutrit, & caseus astringit.

SALSVM autem nihil, neque acre exhibendum: non enim descendet.

LONGE alia ratio febrium pituitosarū, melancholicarum, & id genus aliarum, quàm biliosarum, præcipuè ardentium: nam in illis dissimulato quodammodo morbo

indulgendum calidis, quæ materiam incidunt, attenuant, qualia plerunque acria sunt & salsa: uerùm in ardentibus conniuendum materiæ, & magis expugnandis morbis. Recte ergo Hippocrates salsa prohibuit & acria: rectè quoq; in cõmento Galenus alterã eius rei subscripsit ratione, & in altero suspectã habuit caliditatẽ, in altero uerò caliditatẽ, & siccitatẽ, atq; adeo siccitatẽ magis. Verũ male dissimulauit alterũ ipsius scriptoris respectũ: nõ enim ille nũc ueretur eorũ caliditatem, sed subnexuit, quia non descendit. atque id quidem de neutro admodum prædicari solet: nã tam salsa, quàm acria uentrem solent uellicare, & soluere, nõ autẽ indurare: & quomodo ergo Hippocrates salsa atq; amara dãnat, quia egre descendũt? omitto enim alimẽta: nã & inter medicamenta solutiua (de quibus nũc potius quàm alimentis apparet loquutus) ut unumquodq; est acrius, ita magis uentris subductitiũ. Idem autẽ accidit alimẽtis, quippe & inter ea, ut unumquodq; est acrius, salsius, ita descendit promptius: non uidetur tamen id citra experientiam dictum ab eo qui nusquam alibi scripsit quod non uidit, aut ratione didicit. sed & nos si quidem singula respicere ueli mus, quæ in ægris contingunt, fortaßis optimam ac certißimam inueniemus eius rei rationem: non enim una est causa quæ uentrem obdurat, sed uaria admodum. Ac nunc quidem reliquas differentias omittemus: ac duntaxat duarum, quæ ad nostrum conferunt propositum, meminerimus. Altera est intestinorum ignauia, stupor uel insensibilitas: atque hanc quidem nullis humidis lenies, sed magis obtundes: acribus enim & salsis eget, quæ uirtutẽ stimulent & excitent. Hac de causa hodie salsa, aut acria, ut omnia alia quæ ad uentris motum conferunt, in principio mensę homines assumunt, econtrario quibus uenter multa siccitate indurescit, atque caliditate, humidis & lenientibus opus est: nam iuxta antiquum illud axioma, quòd cõtrarium curatur contrario, hic acria, salsa, calida & sicca uentrem magis exiccabunt, & indurabunt: ita enim uel hodie multos experimur, qui per multa medicamenta solutiua acria & calida non solùm non proficiunt, sed magis uigent ac magis duri euadunt. Videte ergo an male obseruauit Hippocrates, quòd in febribus ardentibus acria & salsa ægre descendant.

SORBITIONEM nisi dies iudicationis transiuerit, non dabis.

DICTVM est sæpe anteà, quòd morbis, qui tertio, quarto, quinto, aut nouissime septimo die terminantur, debetur uictus tenuissimus, modò æger mediocribus uiribus mediocriter cõstet: nam ubi præter communem hominum consuetudinem debiliter ac tenuiter habent, aut cremore ptisanæ, fortè etiam modica ptisana opus est: uerum ubi morbus iudicatus est, saltem secũdo à crisi die cremore, ac demum ipsa ptisana, tandem ipsis ouis, ac carne uti licebit.

ET si è naribus fluxerit sanguis, soluitur ægritudo: atq; si sudores superuenerint, iudicatorij legitimi cũ urinis albis, crassiq;, ac lenibus subsidentijs.

FEBRES ardentes multis modis iudicari possunt, cõmuniter tamen per sudorẽ, aut fluxum sanguinis è naribus: causam diximus in libris de Crisibus. An autẽ bene uel malè, opportunè, uel importunè, iudicabitur ex signis perfectæ cõcoctiõnis urinæ: nã morbo cõcocto nihil potest euenire mali, sicuti rursum crudo nihil potest euenire boni. Iudicat autem concoctionem urina alba, crassa, hoc est pallida, aurea, & mediocris in substantia, qualis ferè solet esse tempore sanitatis: nam hæc, respectu eius quæ fuit in principio accipiuntur: erat autem in principio admodum tincta, & tenuis, est aliquando alba insigniter & crassa. Adiicit autem & sedimen leue, hoc est, tenue, & per omnia æquale: nam & hoc ad perfectam concoctionem requiritur, nisi corpus admodum biliosum fuerit: hic enim pro sedimine aliquando nubecula sufficit: magnum id est argumentum, quòd hæc omnia proficiscuntur potius ex recenti potu, & alimento, quàm morbi excremento.

ET SI apostema aliquod factum fuerit,

NVLLAM fortunam febris ardẽtis uult omittere, sed id etiam, quòd rarius est, satagit exprimere: nam procul dubio rarissimè, & non nisi uirtute admodum iacẽte, hic morbus

bus in abſceſſum euadit:quòd in febri ardente legitima omnes conditiones egregiè ſunt calidę.

VERUM ſi abſq; his ſoluatur, reuertetur ægritudo, uel coxa, uel crus dolebit, expuetq; craſſa, ſi ſanus eſt futurus.

EX hoc loco manifeſtum eſt, quòd in ſuperiori ſententia apoſtema non niſi ſuperiorum partium intellexerit, quādo hic de inferioribus loquitur, & eſt proculdubio hæc morborum acutorum, hoc eſt, febrium ardentium fortuna rariſsima, ut euadant in abſceſſus inferiorum partium cruris, aut coxendicis. Intelligit Galenus ex nouiſsima ſententiæ huius particula, quòd aliquando ſalubriter febris ardens tranſmutetur in pleuritidem, aut pulmoniam: ac id fieri poteſt, ſed magis cogitari: nam quomodo pleuritidem, pulmoniam excoquet æger, & per ſputum expurgabit, qui antea febrem ardentem paſſus fuerit? quum uel per ſe hi morbi difficillimi exiſtant, ac rariſsimè morbus acutus relinquit, qui acuto ſuccedit. Mihi Hippocrates nunc magis febres ardentes citra ullam in pectore inflammationem per ſputum expurgat: nam & alibi in febribus, abſceſſus aliquādo anteuertit urina craſſa, & multa, ſed & hoc nihilo magis ferè admirabile, quòd materia febris ardentis tranſeat per ſputum quàm ueſicam: eſt tamen uterque caſus admodum rarus. Summa ergo omnium ſententiarum hæc eſt, quòd febris ardens determinatur aut euacuatione aliqua manifeſta, aut abſceſſu, frequentius ſuperiore, rarius inferiore, rariſsime autem per ſputum, forte paulò frequentius per ueſicam: ſed hunc caſum hic omiſit, atque eius in Aphoriſmis meminit. Iam neque ſi exquiſitè omnia exequamur, hæ omnes ardentium febrium fortunæ ſunt. adiicit Galenus, quòd aliquando opportuno hauſtu aquæ frigidæ quædam ſalubriter extinguuntur, ſed ferè his poſteà aliqua purgatio ſuperuenire ſolet. Iam ne hæc quidem ſic audienda, quaſi interim nihil agendum, & ad has ſolas fortunas aſpirandum: nam hoc eſt ægrotantibus potius bene præcari, quàm benefacere: quinimo inter hæc & iuſtum uictum oportet inſtituere, & materiam ſuo tempore, aut per uomitum, aut per inferiorē purgare: nam his omnibus bene ge-

stis unum ex iis,quæ dicta sunt,aut plura solent superuenire:atque hæc sunt,quæ paulò obscurius Galenus in commẽto disserit.Quod si nihil istorum fiat,& tamen febris desinat,uel mitescat,aut æger moritur simul cum calore febrili,præeunte naturali,aut certè reuertetur multò seuior. Fit autem id duabus de causis:nam aliquando materia subtilior resoluitur,& reliqua relinquitur,quomodo & ignis ex straminibus,& lignis in principio emicat,posteà quodammodo desinit,& rursum efflagrat. Fit id etiam aliquando, quia maligna materia, quæ cordi proxima decumbebat,à natura ad exteriora uasa reiicitur,nõ quidem tota,sed magna ex parte,atque adeò cruda: uerùm neque ab iis partibus bene fertur:quo fit ut rursum ad priorem sedem reuertatur,atq; morbum difficiliorem,quàm antea,faciat.

CAVSI genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua aspera, sicca, salsa.

QVALIS sit febris ardens pura,dictum est antea. Impura est,quæ cum cholera partem aliquam pituitæ effatu dignam commixtam habet: eloquuntur hoc conditiones circunstantes : fieri enim non potest, ut iuuenis calidus & siccus pura ardente laboret, qui sub septentrione habitat,aut in hyeme alibi ægrotat.Habet autem & hæc sua signa,cum substantialia,tum accidentalia:statim enim societate pituitæ mitior redditur quàm pura: est & sitis potius magna,quàm uehemens,& rursum tametsi lingua utrobiq; sit aspera,sicca,hic tamẽ magis alba,ibi uerò magis nigra: iam illic os amarum, illic uerò salsum:generatur enim salsus sapor ex amaro,dulci,aut fatuo permixto.Nouissime in febre ardente pura aliquando,aluus liquida ob multam bilis procacitatem:uerùm hic nonnihil lentore pituitæ obtũditur,ac uix aluus pro consuetudine soluta est.Ita neque in pura semper liquescit, sæpe per accidens astringitur, sed Hippocrates hic ea numerat , quæ per se magis eueniunt: ita neq; morsus uentriculi similis est,sed in illegitima paulò obtusior.

VRINAE defectus.

DVRITER ab eo dictum est,quòd in hac febre urina retineatur ; melius dixisset, quòd minus quàm in pura

procedat:nam cholera procax est, & ut uẽtrem,ita uesicam aliquando citat.

Vigilia.

EST & uigilia molestior in febre ardente, pura, quàm impura,sæpe etiam usque ad delirium promouet:rarius autem hoc accidens in impura: proinde & hic discretius dixisset,in pura delirium,in impura magis uigilia.

ET refrigerata extrema.

NE id quidem simpliciter accipiendum, tanquam signum proprium,sed tantum unum ex iis est,quæ malignis morbis superueniunt,ac magis etiam puris quàm impuris: quando natura quadam anxietate laborat.Melius ergo est hunc sermonem accipere,quemadmodũ quendam in prioribus,ut audiamus refrigerata,hoc est,minus calida:nam febris ardens pura uniuersum corpus magis urit, quàm impura,nedum extrema:ueruntamen tepor ipsius febris impuræ magis in pedibus,quàm alibi depræhenditur.

CAVSVS hic, nisi sanguis è naribus fluxerit,uel circa collum apostema fiat, uel crus doluerit,& æger crassa sputa excreauerit (hæc autem astricta aluo fiunt) uel coxæ dolor, uel pudendi liuor superuenerit, non iudicatur:testis quoq; intensus iudicatorius existit.

NON accipit Galenus omnem hanc fortunam in simplice causo,sed in composito,eoq; diuerso:sic enim ipse in cõmento potentia distinguit, in causo ex inflãmatione in pulmone,sanguinis fusionem è naribus,aut sputa,circa collum & aures abscessus expectat:uerùm in causo ex inflammatione hepatis,aut intestinorum graciliũ apostemata in inferioribus,hoc est,coxa,cruribus, aliquando etiam colo, hoc est,pudendis,aliquando in testibus:nam plerunque tẽsio in testibus,eorundem inflammationem sequitur: putat autem Galenus aliquando id symptoma fieri, pure ex superiorum partium ulceribus in has partes defluente: quòd si tam diuersa respexerit,præsens author,quisquis fuerit,merito

rito confusionis à Galeno repræhenditur: sed est mihi ueri simile, quòd huius ac cuiusdam alterius prioris Aphorismi hæc si sententia: Causus impurus, ut purus aliquãdo sedatur aut iudicatur, per fluxũ sanguinis è naribus, hoc est, per aliquam manifestam euacuationem, aliquãdo per abscessum eumq; in inferioribus partibus, aut superioribus, in quibus & testium, & pudendorum inflammationem continet, aliquando etiam per sputum. adiicit, Hæc autem adstricta aluo fiunt. Nec enim dubium est quin ea rarius fiunt, ubi uenter liquescit: uerùm naturaliter subeunte uentre nihil impedit, quin & ista quoque sequantur. Atqui ne sic quidem accepta sententia omnino laudanda est, utpote quę eandem fortunam describit causo impuro & puro: distinctius dixisset, Causus impurus, magis finitur per abscessus, quàm purus: & rursum magis per abscessum inferiorum partium quàm superiorum: certe dissidet iste modus scribendi multum ab eo, qui in prognosticis est. Proinde mihi uerisimile est, quòd & hic sermo ab alio, quàm Hippocra. scriptus sit, atque hæc commẽtatio ipsi contextui sufficere poterat, uerùm iterum ad se nos reuocat Galenus in commento, ubi in febribus acutis nunc liquidum, nunc durum uentrem obseruat: neque enim facilè est dicere, quæ sit illa imbecillitas hepatis in febribus ardentibus, quæ uentrem liquidiorem facit: nunquid obstructionem aliquam, aut inflammationem intelligit, quæ adueniens alimentum non admittit? profectò in simplici febre ferè caliditas hepatis & siccitas tanta est, ut sæpius uentrem induret, quàm remolliat. & rectè ab eo dictum est, quòd scybale excernantur (ita appellat excrementa dura in modum catapotiorum aut pillularum effigiata) calor enim omnia indurat, & in rotundum agit: unum & alterum ab eo dissidet, quòd & in colicis qui frigido laborant, & in ouibus egregiè frigidis & humidis talia excremẽta procedant, & quidem primus locus facilè excusationem inueniet: nam licet dolor colicus plerunque proficiscatur ex frigido, tandem tamen per accidẽs calorẽ inuehit. In ouibus fortè alia causa, quippe ruminant, ac de uentriculo in uentriculum alimentum quodammodo transferunt, atque siccius alimentum intestinis tradunt: sed & ipsæ oues sicciore quàm reliqua, alimento utuntur: ita & capræ.

SORBITIONES dato attractorias.

NON inuenio hanc sententiam tam absurdam, quàm Galenus eam habet: nam anteà ipse præcepit medicamentorum amaritudinem & insolentiam dissimulare adiectione quorundam seminum aromaticorum: hac de causa nos quoq; nunc mel, nunc zaccharum illis admiscemus: ita & ipse Galenus aliquando ægrotantes fefellit, dum in sero lactis scammonium confunderet, idem potest fieri in mulso oxymelite, cremore ptisanæ, atque adeo ipsa ptisana. Quòd autem in his potius, quàm puris febribus medicamẽtis utatur attractoriis, & hoc quoque rationi conforme est: nam cholera tenuis & sequax est, & subinde solis abstergẽtibus medicamentis cedit: pituita uerò choleræ commista, atque adeo cholera crassior, qualis ferè in impuro causo, exuperat, fortioribus indiget.

IN acutis morbis sanguinem detrahes, si uehemens morbus uideatur, florueritq; ægrotanti ætas, & uirium adfuerit robur.

TRIA sunt, meo quidem iudicio, quæ sanguinis missionem postulant, plenitudo, morbi magnitudo præsens, aut etiam imminens, nouissimè totius corporis æstus. iuxta quod Galenus alibi scripsit, saluberrimum in omnibus febribus sanguinem mittere. Plenitudo nota est, & ad consuetam corporis naturam eam referre oportet. Magnitudinẽ morbi appellamus uehementiam, qualem plerunque obtinent morbi acuti; sed & alibi si quando per phlebotomiam eius incrementum prohibere possimus, sanguinem decet mittere, sic non solùm in morbis acutis, atque adeo inflammationibus, uerumetiam uulneribus, contusionibus particularium, præsertim nobilium, sanguinem ex opposita parte fundimus, ut inflammationem prohibeamus, etiam si sanguis modicus fuerit. Scio quòd bonę euacuationis sit malignum adimere, & benignum relinquere: sed melius est omnino sanguinis boni partem adimere, quàm eandem postea morbo accedere: hac de causa & in febribus sanguinẽ mittimus, licet nullo modo exuperet. Habet autẽ utrobique & alteram utilitatem: non enim solam partẽ materiæ morbosæ exhaurit, uerumetiam uniuersum corpus refrigerat, pulcherrimum cuiusuis febris remedium. Tres ergo sunt

causæ

causæ aut affectus, ob quos sanguinem mittimus, nisi aliud impedimentum interueniat: est autem id ipsum præcipuum uirium infirmitas, aut detrimentum: non est enim morbus tam magnus, qui fusum sanguinem feret, effatu dignum, (modo uires infirmæ fuerint) sunt autem multa, quę uires infirmant, aut uires infirmas declarant. Primo loco occurrit ætas: nam usq; ad pubertatis initium, tota illa ætas pueritiæ mollis est, & tenerior, quàm quę phlebotomiam toleret: quoniam licet concoctio & nutricatio in iis liberalis, tamen spiritus & sanguis modicus, utpote qui continuè, atque affatim in corpus transsumitur, neque natura citra inopiã illius uacuationẽ sustinerę potest: nã esto quòd natura nostra, in solidis habitet, tamen ad immodicam omnẽ euacuationem labefactatur, aut interit. Primùm ergo pubertas missionẽ sãguinis tolerat: etenim hic corp' solidũ esse incipit, quod nequaquã tãtũ sanguinis, quãtũ solebat, in se traducit, sed plus solito in uenis relinquit. Neq; id certis annorum interuallis licet metiri, sed pro diuersitate sexuum & temperaturarum, fœminę citius, masculi tardius pubertatem ineunt, & inter masculos rursùm ac fœmellas citius calidi quàm frigidi, distinguitur ex iis quæ apparent. Initium pubertatis est in puellis, quãdo exuperant menstrua, in masculis uerò, quando erumpit semen, & sanguis è naribus. Hic ergo pro mutatione naturæ primum licebit sanguinẽ mittere, neque tamen id facere decet affatim, sed admodũ breuiter, & non nisi omnia alia respondeant, atque adeo regio, tempus anni, mediocriter sese habuerint, atq; id rarò admodum euenit: qua de causa Galenus & Hippocrates quasi hac ætate præterita, in florenti ætate primùm sanguinẽ mittunt, & nusquã profectò alibi liberaliorem mittere licet. Videtur autem nunc appellare florentem ætatem, tam extremam adolescentiam, quàm ipsam iuuentutem: nam in senectute prima, atque secunda, audacia mittendi sanguinis paulatim decrescit, adeo ut in decrepitis, hoc est, post septuagesimum annum uix liceat: nã in regionibus intępe ratis ne post sexagesimũ quidẽ (nisi admodũ rarò) amplius licebit. Non minus quàm ætas deterrere nos debet à missione sanguinis, magna aëris intemperies; nam & egregiè calida, satis per se, absq; ulla alia euacuatione, corpus dissipat, & frigida per se satis refrigerat, adeo ut quando re-

gio & tempus inuicem conſpirant, nullo modo (quantuncunque morbus ſit magnus) ſanguinem mittere liceat, ſaltem effatu dignum: quippe ubi ambo conſpirant in calido, corpus minimum fundunt: ubi autem in frigido, calidum propemodum extinguunt. Dixi ſanguinem effatu dignum: nam in pleuritide, pulmonia, febre ardente, tanta uidetur morbi magnitudo, ut non ſine calumnia medici moriatur, in quo phlebotomia omiſſa fuerit, & ob eam cauſam Auicenna phlebotomiam euentatiuam (ita enim ipſe appellat) primus excogitaſſe apparet, quæ ſic uenam aperit, ut preter duas, tres uncias nihil effundat: quæ ſi uerum fateri uelimus, ut obeſſe nequit, ita neq; prodeſſe quicquam: atque hæc eſt forſitan cauſa, quare phlebotomiæ autor præſens potius in curatione ardentis illegitimæ, quàm legitimæ meminerit, quòd in legitima non ſolum regio & tempus anni deterreant, uerumetiam omnia reliqua: uidetur tamen natura hic paulo indulgentior, quàm ipſe Galenus: non enim ſolas ardentes illegitimas, ſed & legitimas, profluuio ſanguinis è naribus exhaurit. id nemo, quod ſciam, animaduertit, proinde quid alii dicturi ſint neſcio, mihi ob eam cauſam uidetur eſſe fallax imitatio, quia in principio humores ſunt confuſi. Itaque hic plebotomia noſtro ſtudio facta multo plus boni ſanguinis educet, quàm ipſius choleræ, ſecus eſt de ipſa criſi: natura enim antea diſcernit quàm expellit: itaque nunc econtrariò per criſim plurimum effunditur bilis & minimum ſanguinis. Hæc eſt etiam forſitan cauſa, quare hæ febres ſæpius iudicantur ſudore, ſynochi uero narium profluuio. Tertio phlebotomiam parum tutã faciunt accidentia, quæ uirtutem exanimare poſſunt, ſiue nunc urgeant, ſiue paulò pòſt immineãt. Dolorem dico magnum, uigiliam, inediam, & alia eiuſmodi: ſola enim fortis uirtus, hæc magna præſidia tolerare poterit, & iuxta Hippocratem fames laborẽ tolerare nequit. Videntur eſſe omnia definita, quæ phlebotomiam prohibẽt, & reuera unum adhuc deeſt, quod ex corporis pendet cruditate: nã ubicunq; hæc multa fuerit, ſuſpectam phlebotomiam Galeno tum in libro de Arte curatiua ad Glauconem, tum alibi facit: nam hæc perfectionem potius quàm euacuationem deſiderat. Cum multa ergo religione in his ſanguis mittendus, qui crapulæ & deſidię longo tempore fuerunt obnoxii: etenim

ij ferẽ

ii ferè multa cruditate laborant, atque ii sunt in quibus uulgus affatim euacuationem molitur. sed de iis alibi.

SI itaque angina fuerit, & si aliud quippiam ex pleuriticis malis eclegmate purgato: at si æger ob copiosam sanguinis missionem imbecillior fuerit, clysmum tertio quoque die infundes, donec in tuto æger fuerit, & fame indigeat

INORDINATE nunc, & pleuritidis, & anginę procurationem scribere apparet: quoniã de iis ipsis postea, & pleuritide anteà, indiscretè etiam ab eo eligmata cõsuluntur in angina, & pleuritide: nam in angina oportuniores sunt gargarismi: iam non statim pleuriticis eligma purgatorium, aut tussiculosum oportet exhibere, sed primum id quod incidit & attenuat, posteà quod tussim mouet, deinde dubium est, quam purgationem cogitat, pro qua in imbecillitate, sanguinis missionem sequuta, clysmo aut clystere utitur. si quidem enim repurgationem per sputũ respicit, errat: quia imbecillitas melius fert eligma quàm clysmum purgatorium. Si autem purgationem uniuersi corporis respiciat, & hoc quoque incommode ab eo in hoc loco dictum: non enim materia inflammationis in angina aut pleuritide prompte per uentrem ducitur, sed compendiosius per os & screatum expellitur. sed fortassis tam Hippocrates, quàm Galenus materiam quę in proximis uenis inflammationi sedet, medicantur, & hanc proculdubio in imbecillibus tutius est per clysmos, quàm pocula, aut catapotia subducere, quòd clysmi minus quàm pocula uires interiorum uiscerum uiolent: etenim clysteres non nisi usque in tertium intestinum subeunt, poculorum uerò uis, promptè ad interna omnia uiscera trãspirat: omitto quòd clysteres parum morantur in corpore, hac de causa aliquã do neutrũ facimus: sed ipsa medicamenta foris uentri circunscribimus. Deniq; & hoc ab eo parum legitime dictum est, quòd tertio quoque die clysmum solutiuum oportet iniicere: nam aliquando semel sufficit, aliquando diutius expectandum est: facilè tamen ab eo hic nunc redarguuntur,

qui uno die plures clyſteres audent infundere, de medicamentoſis loquor, atque adeo iis qui attrahunt: nam emolientibus in uno die ſemel atque iterum uti licebit. Adiſcit tandem (donec in tuto ęger fuerit & fame indiget) obſcuris uerbis ſtatum indicans: nam pauci in ſtatu perfecta concoctione moriuntur, atque adeo ut hic ab omni alimento, ita multo magis ab omni medicamento abſtinendum.

INCENSA inflammataq; hypochondria, nō ob ſpirituum interclusionem, ſepti tranſuerſi, intenſiones, aut ſpirituum protēſiones, orthopnœa ſicca, quibus pus non ſubit, ſed à ſpirituum interclusione pathemata hęc ſuperueniunt: potiſsimum uerò & iecinoris dolores, morborumq; collectiones ſolui non poſſunt, ſi quis primum purgante uti medicamēto aggreſſus fuerit: nā uenæ ſectio in his prę ferēda uenit. Deinde clyſmis eſt opus, ſi uehemens & magnus fuerit morbus: ſi uerò nō, & poſtea medicamēto opus ſir, ſanè id poſt ſanguinis miſsionē ſecurè & mediocriter porrigendum.

MAIOR eſt uerborum ſaburra, quàm operoſa ſententia: maior etiam prolixitas in uerbis, quàm in ipſis rebus: ſed & ex profeſſo ſermonem de interceptione ſpirituum, aut interclusione, obſcurare apparet, ut qui aliud in primo loco, aliud in ſecūdo per ſpiritum interclusionem intelligit: nam in poſteriore intelligit anhelitus difficultatē, in ſecundo flatulentorum uaporū retentionem. Ita per ſepti tranſuerſi intenſiones, ſpirituū protēſiones, nihil aliud intelligit quàm inflammationes ſepti tranſuerſi, quę ferè ſpiritum offendunt: ſic inflammationes pulmonis nomine orthopnϾ ſignificat. Melius eſt ergo uerba relinquere, & ſententiam paucis reddere, quę meo quidem iudicio talis

eſt,

est, inflammationes omnes calidiores, utpote quę potius natæ sũt resolui, quàm suppurari, in capite, gutturę, pectore, hypochõdriis prius missionẽ sanguinis, quàm purgationem postulãt: causa est duplex, altera ab eo postea dicitur, altera uerò omittitur: est aũt hęc, quòd purgatio promptius & felicius sequitur post missionem sanguinis, quàm ante eandem: nam humor qui purgatur promptius per latus quàm angustas hepatis uenas decedit: magis autem conniuent ac patent hę sanguine euacuato, quàm retento. Mittit autem sanguinem potius in iis inflãmationibus, quæ cõcoquũtur, quàm quę suppurantur, quòd hę sint frigidiores. Iam quod de purgatione dicitur, nequaquam sic intelligere oportet, quasi materia inflammationis in cerebro, in pectore, per purgationem decedat, sed credo eam quę in proximis uenis est, spectat ubiq; ergo phlebotomia purgationem debet antecedere, nisi quòd uentrem pręter consuetudinem durum ante phlebotomiam liceat emolire, sed de hac re anteà.

QVICVNQVE autẽ inflammata statim per morborum initia medicamento soluere conantur, ij non solùm ab intenta inflammataq; parte nihil adimũt, cùm non cedat obsequaturq; quę adhuc cruda est affectio: uerùm quoque & quę morbo resistentia, & sana sũt, absumũt, contabefaciuntq;, ductoq; ad imbecillitatem corpore morbus superior euadit, qui ubi corpus uicerit, remedium non habet.

ALTERA causa ob quam phlebotomia sępe lõgo interuallo purgationem debet pręcedere est, quia purgatio cõcoctionem expectat, quę non nisi aliquot dierum spatio obitur. Quòd si quę sit quę cõcoctionẽ inflãmationis importunę pręcedat, corpus potius lacerat quàm morbum expurgat: resistunt enim cruda, & colliquãtur benigna: itaq; natura debilitatur & plerunq; morbo inferior euadit, in quo

omniũ mortalium morborum caput cõsistit. Debes ab hoc sermone excipere purgationem reuulsoriam: nam quædã inflãmationes adeo biliosæ, ut earum principia potius expostulent reuulsionem per purgationem, quàm sanguinis missionem. Hoc non intellexit Manardus, & propterea male ex primo hoc libro in genere purgationem ante concoctionem cõcessit, quãuis & ille locus Hippocratis, ut antè diximus, forsitã de sola deriuatione potius accipi debeat.

QVOD autem quis repete obmutescat, id uenarum interceptiones occlusionesq; faciũt, si sano absq; occasione uel forti alia causa id contigerit.

PER obmutescentiam, temporariam sensus & motus defunctionem intelligit: sunt autem ferè quatuor morbi, qui idipsum faciant. apoplexis omnibus nota est. idem facit syncopa, ex quocunque loco suboriatur, aut primariæ ex ipsius cordis impotentia, aut alterius particulæ dolore. mirum est quomodo hoc ipsum potest facere strangulatio uteri. ac mihi uidetur quidẽ suo uenenato uapore inducere quasi quendam defectum animi, potest nihilo secius & sua frigiditate spiritus animales tollere atq; obliterare. Atq; ii quidem morbi occasiones suas habent, ac ferè fortes causas sequũtur: ubi uero citra hęc eadem obmutescentia acciderit, iugularium, arteriarum interceptionem, aut obstructionem, significat, cuius signa & discrimina enarrabuntur posteà.

VENAM igitur brachij dextri internã secare oportet.

POTIVS dextrum brachium præhendimus, quàm sinistrũ, ubi utrũq; latus afficitur: quòd dextra corporis pars magis turgeat, atque promptius multum sanguinem fundat: mirum tamẽ quòd nunc internam potius quàm externam scindat: nam internam in affectibus pectoris, atq; inferiorum partium secare solemus: in superioribus uerò externam, hoc est cephalicam. Mirum quòd Galenus hunc locum dissimularit: uidetur autem mihi alia esse ratio in inflammationibus superiorum partium, colli & capitis, quàm in hac interceptione arteriarum: nam in reliquis inflam-

mationibus totus ſanguis circa locũ inflammatum urget, hic uerò magis uniuerſum corpus inferi⁹ turget, cũ multa ergo ratione,quiſquis is autor fuerit,internã quàm externã aperit,quòd illa promptiſsimè uniuerſum corpus exhaurit.

SANGVINEM auferre inſpecta ſecundum habitum ętatemq;,pluris minoríſue ratione.

VBI omnia atteſtantur,ſanguinis miſsione duas tres libras licet mittere:uerũ in noſtra regione rarum datur, aut licet plus quàm libram unica uice ducere.

QVAMPLVRIMIS autem horum accedunt hęc: faciei rubor, oculorum conſtantia, manuum porrectio, dentium ſtridores, pulſus, maxillarum contractio, refrigeratio extremorum, & ſpirituũ in uenis interceptiones.

HAEC ſunt ſigna, quę obmuteſcentiam ex interceptione uenarum ſignificant, & à reliquis affectibus diſcriminant:nam licet & in apoplexi,defectu animi,ſtrangulatione uteri,ſenſus & motus pereat,eſt differentia,quia in iis totum corpus frigidum eſt ex angue:in hac uerò obmuteſcentia,facies bene colorata,diſcriminis cauſa eſt,quia hic calor & ſanguis efferuet, illic quodammodo extinguitur. Rurſum in tribus prioribus affectibus, ferè oculi more dormientium conniuent, hic uerò ob multitudinẽ aperti conſtant,& ſtupent:ita alibi manus contrahuntur,hic uerò potius exporriguntur, aut ob multitudinem extenduntur. Accedit,quòd hunc caſum ferè pręcedit multa crapula,iuxta eum aphoriſmum,qui in quinto ſcribitur, Si quis ebrius repente obmutuerit,& cętera.Item alibi,ferè ſingulę partes exanimantur, hic uerò pręſertim circa locum affectum & proxima pręter cõſuetudinem,pulſum inuenies. Dentiũ tamẽ ſtridores, maxillarum contractiones, & ſimiles conuulſiones defectui animi,& ſtrangulationi ex utero, communes ſunt: refrigeratio extremorum non quidem ſtatim accidit in interceptione uenarum,ſed tandem ſtrangulato

calore naturali multitudine, ita & ſpirituum in arteriis interceptiones,hoc eſt,pulſus abolitiones, non niſi tandem ſequuntur communiter cum aliis morbis, ubi calor naturalis perit.

CVM dolores acceſſerint bilis atræ fluxionum,acuum diſtillationes fiunt, dolent morſa inteſtina, morſęq; atq; admodũ arefactæ uenæ intendũtur, trahuntq; inflãmatę, quæ influunt: quapropter corrupto ſanguine nequeuntibusq; ſpiritibus in ipſo natales tranſire meatus, infrigidationes fiunt ob ſtationẽ, uertigines aphoniæ, capitis grauitas, & conuulſiones, ſi iam ad cor, uel hepar, uel in uenam peruenerint: hinc epilepſię,& paraplexiæ, ſi cõtinẽtes locos fluxiones inuaſerint, atque ſpiritibus exire nequeuntibus exaruerint.

PHRASIS abrupta,& tẽporibus Saturni magis,quàm Hippocratis congrua:fortaſsis etiam ipſa ſententia parum uera, utpote, quæ quorundam cauſas magis quærit quàm inuenit.Neq; enim ubi dolor inflammationes concitat,primum atra bilis irruit, ſed bilis ac ſanguis,ac demum melãcholica,ac atra bilis. Neq; rurſum ſanguis in quibuſdã partibus concreſcit, quia ſpiritus commeatum non habet, ſæpius id euenit, quia in magnum aliquod & frigidum ſpatium excidit. Melius ergo eſt orationem totam omittere, & eorum,quę ipſe diſſerere nititur,legitimas cauſas oſtẽdere: non eſt enim ipſius propoſitum inutile, ſed diſceptatio incommoda,quippe duplex ſanguinis fortuna eſt:aliquando ex magnis uenis excidit,& paruas cum interiacente ſpatio,& poris implet. atque hoc ferè efferueſcit, & inflammationem intumeſcit:aliquando in ſpatium uentris, inteſtinorum, uteri, ut thoracis effunditur: atq; hic refrigeratur: ita enim & foris ſtatim conglobatur, & quidem in medium

aut

aut postremum uentriculum illapsus, apoplexiam facit, aut epilepsiam: paraplexiam uerò committit, quãdo priuatus aliquis ac peculiaris neruus eo obstruitur. Hæc sunt quorum obscurum hoc caput nos admonet, atq; id tantum: nã ipsam rem, quisquis is autor fuerit, parum solerter colligit, sed & Galenus nescio quid obscuritatis nobis in commento exhibet, præsertim in eo loco, ubi pro atque, coniunctione, à prępositionem mauult interponere. Hæc & in hoc loco, & in aliis locis ascribimus, quia nihil dissimulare possumus, ut aliis locum inquisitionis demus, quamuis hęc omnia sæpe plus curiositatis, quàm utilitatis exhibent: nam satius est ipsam rem scire, quàm in aliorum tenebris conflictari.

TALIBVS sanè post adhibita prius fomenta uenam confestim ab initio secare oportet, cùm suspensa existant, & nondum fixa sint omnia, quę contristant tum spiritus, tum fluxiones: facilius enim remedijs patet.

FOMENTA aliquando exhibemus ante phlebotomiam, idq; ob duas causas: altera est, ut interim simus securiores ipsius affectus: neque enim decet in paruis affectibus grauia insumere remedia: proinde quãdo omnia à cõiecturis artificiosis pendent, satius est ipsos affectus ignoratos paruis, quàm magnis tentare remediis. Altera est, quòd dolor reuulsioni contranititur, quocirca ut humor alacrius sequatur, melius est aliqua ex parte dolorem mitigare, quàm eodem sæuiente sanguinem reuellere. Quòd autem de reuulsione sola loquatur, patet ex iis uerbis, Suspensis, & nondum fixis. Idem ex ipsa ratione colliges: nam deriuatio etiam longo tempore, factis inflammationibus conducit: sed & hoc iterum pręseus autor obscurè adiecit, quòd spiritus, & fluxiones contristant.

POSTEA reficere expedit, & inspecta iudicatione superiorem uentrem, si nõ leuetur, purgare: inferiori uerò, si non deiecerit, clysmum inijcere. Coctum deinde asinę lac

 dabis,

dabis,bibetq; nõ minus cotylis duodecim, & si uirtus tollerauerit ſedecim magis.

RECTE principium hoc ab eo ſcriptum eſt: quoniam ut antè in primo libro dictum eſt,dolor cibum ægrè tolerat.Quòd autem per ſuperiorem uẽtrem purgare oportet, ſi materia eo uergat,& hoc quoq; magis uerè quàm opportune dictum eſt.Ita & illud,quòd uentrem pertinacem decet clyſino eluere:ſed ubi hoc factum fuerit, nequaquam aſinino lacte eſt opus:at neque ubi opus eſt, tanta quantitas tolerari poterit à ſano,nedum ęgro: nam duodecim cotylę nihilo minus,quàm quinque, ſex amphoras implebũt: & quis precor uenter hæc capiet? putarem mendum eſſe: ſed quid Galeno reſpondebis,qui magnam hanc quantitatem per ueterum conſuetudinem excuſat?mirabilis profectò apud utrunque ſermo eſt.

SYNANCHVS, id eſt angina, fit cũ hyeme uereq; fluxio multa & uiſcoſa ad iugulares ex capite defluxerit uenas,plurimúmque hę traxerint ſpiritũ:cùm autẽ & frigida, & glutinoſa fuerit, ſpiritus obſtruit permeationes, ſanguinemq; coërcens, quæ uicina ſunt inſpiſſat,ſanguinemq; ipſum immobilẽ reddit,& conſtãtem:quippe cùm natura frigida ſit,& obſtructoria,ob id ſuffocantur liuente lingua, ac in rotundum acta, flexaq; propter eas,quæ linguæ ſubduntur uenas.nã præciſa una,quam nonnulli cionida, id eſt, columellam uocant,uena utrinq; craſſa apparet.Cùm igitur hę oppletę fuerint,linguę quæ ob ſiccitatẽ & rara,& ſpõgioſa exiſtit, innituntur:lingua autem ui ex uenis humorem accipit,atq; ex lata rotunda,ex bene colorata

lorata liuens, ex molli dura, atq; ex facile flexi flectenti contumax efficitur. Eam ob caussam citò iugulat, nisi citò aduersus eam pugnaueris: sanguinem ergo ex brachijs detrahes, mox uenas, quæ sub lingua sunt secabis: deinde medicamentis quibusdam attractorijs uteris, calida exhibebis gargarismata, caput abrades, ceratúq; tum collo, tum capiti circumpones, latusq; circumuolues, & molli spongia ex aqua calida expressa fouebis: bibet autem aquam & mulsam, non frigidam, cremoremq; assumet, ubi ex iudicatione iam in tuto fuerit.

PLERVNQVE anginæ inflãmatio, est ex sanguinis multitudine sursim & maxime deorsim in musculos faucium, aut gutturis irruente. & huius generationem nunc tã Galenus, quàm Hippocrates uidentur omisisse. Est alia angina, quæ ex priuatis fit humoribus: est autem ea duplex, altera ex saniosa bile, & hanc postea describit: quæ autem ex pituita, hanc nunc reddit. Neque est dubium quin huius materia magis defluit ex capite in uenas iugulares, hoc est, faucium, & gutturis, quàm alia parte. ita enim nunc appellare apparet uenas iugulares secundùm communem loquendi modum, non autem ipsas arterias: nam oppletio harũ multo citius strangulat & potius apoplexiæ, quàm anginæ similitudinem exhibet. plerunque autem hæc angina fit in hyeme, aut ineunte uere: aliquando tamẽ uel tempore æstatis, aut infelix intemperatura, aut frigidus eximiè uictus eandem materiam potest sufficere: quocunque autem tempore inciderit, difficultatem deglutiendi facit. Et hoc illi cum inflammatione tonsillarum est cõmune, & quibusdam in faucе ulceribus. sed neq; illud illi peculiare est, quòd difficultatem loquendi, spirandi inducat: nam & hoc alii quidam affectus possunt. Magis est illi proprium, quòd linguam ex la-

to in longum agat, uerum & huius satis obscuram rationẽ nunc noster autor reddit, quamuis per se satis manifesta sit: nam omnibus inflammationibus commune, ut proximas quasq; uenas impleant. ecquid ergo mirũ, quòd lingua ex longo cogatur in spissum, & rotundũ? nã & alibi quæ im plentur cõtrahuntur. Eadem ex causa hic mollis quodammodo indurescit. Liuens autem nequaquam fit in omni angina, sed præcipuè pituitosa: nam pituita facilè sanguinem qui colorem appingit, prohibet: & præterea eundem refrigerat. Iugulat autẽ potius, quàm quiuis alius affectus in pectore, idq; ob loci angustiam: nam & alibi ostendimus principium asperæ arteriæ, hoc est, ipsum guttur esse angustissimum, & suffocationi opportunissimum, minus tamen iugulat, quàm sequens angina calida: nam pituitosa exteriores & latiores tantum uenas obsidet, calida uerò etiam internas, adeò ut sæpe neq; foris, neq; apertis faucibus quicquã uideas. Curatio hæc est, ex brachio statim oportet sanguinẽ detrahere, modò nihil sit quod prohibeat: nam quãuis sanguis hic modicus, hoc est, mediocris fuerit, nec ipse prima causa morbi existat, tamen ad omnem dolorem affluit, & circunstantes partes ipse cogit, & angustiam auget. Igitur sanguinẽ mittere oportet, donec suffocationis periculum immineat: nã hic statim proximiorem uenam in lingua secare, aut exhaurire decet: quòd si ne id quidem suffecerit, sed materia pituitosa in proximis, ac præsertim magnis uenis hæserit, hanc per clysteres paulò acriores in uentrem atque intestina oportet attrahere. at neq; id satis est: nam quamuis materia ex remotis à loco affecto particulis abducta sit, à proximis reliquum periculum imminet, qua de causa materiam relictã potius est per caput digerere, quàm in his locis relinquere. Ad hoc conferent cerata calida, capiti circũscripta, quæ ut commodius capiti applicentur, comam prius oportet radere, & ne citius suam uim ceratum amittat, quàm insinuet, expedit ipsum foris multa lana obducere: fit autem ut aliquando huiusmodi cerata dolorem inducant, quo loco præstat dulci fomento ipsum caput recreare, sed & aliquando huiusmodi fomentum sufficienter citra cerati applicationem materiam digeret, nusquam tamen multus mador conuenit, ne fortè delapsus caput refrigeret. Quocirca non tantùm in hoc affectu, sed & quo-

uis

uis alio, & spongia, & omne aliud fomentum, prius diligẽter exprimitur, quàm omnino loco affecto circumponitur, atque iis quidem modis & remotissimam, & proximam materiam retrahimus. eam autem quæ loco affecto insidet, per gargarismos oportet demoliri: sed neque ii eiusdem erunt qualitatis, priores astringent, posteriores prætereà attenuabunt, nouissimi expurgabunt tantùm: atque hactenus de medicamentis. Quòd autem in fine author noster adiicit, ad uictũ pertinet, notaq; est illius historia: nam quia acutissimus, aut nihil, aut omnino minimum potum accipiet, donec morbus per euacuationem uniuersi corporis & screatum determinatus fuerit. Sed neq; hic statim solido cibo utetur, sed ab aqua mulsa ad cremorem ptisanæ promouebit: quanquam ne hanc quidem frigidam, sed potius calidam assumet, si non ob aliam causam, saltem ob eam, ut reliquiæ morbi elegantiùs abstergantur, & deradantur.

CVM æstate uel autumno fluxerit è capite calida & nitrosa fluxio, quasi ab anni tẽpore, tum acris, tum calida fuerit, cùm huiusmodi est, mordet, ulcerat, spiritu implet, orthopnœam parit, & siccitatem multam, præterea quæ intuenti apparent, haudquaquam tumentia uidentur.

QVEMADMODVM angina pituitosa potius hyeme quàm ęstate oritur, ita & biliosa potius ęstate quàm hyeme: differunt inuicem multis modis: primùm phantasia: nam pituitosæ, aut foris ferè, aut intus se in faucibus ostendunt, biliosæ uerò in internis latent, atque hac de causa citius iugulant, magis exercent, & omnino febres coniunctas habent: dolor etiam uariat, in pituitosis grauis, in biliosis pũctilis & mordax: rursum biliosa multa siti affligit, & suo uapore uniuersum caput, palatum inficit: pituitosa uerò angina, acutæ febris expers est, & potius grauat quàm uellicat, certè ex se parum uaporis edit.

TENDONES quoq; colli posterio-

ra, Hippocrate indigna, & de quibus potius diuinare quàm coniectari licet. Quòd si quędam ex iis ueritatem obtineant, pauciora quàm ut ob ea tota sequens particula commentationem mereatur, pręsertim quum hæc anteà aut certè aliubi clari⁹ dicta. Pręstat ergo deinceps quibusdam aliis operibus mentem adhibere, interim quisquis posteà hisce nostris laboribus frueris, non minorem ornatissimo & clarissimo uiro domino Lucę Mueningo sancti Bauonis apud Gandenses præposito, gratiā habe, qui & mea, & uestra studia suis sumptibus deinceps iuuare decreuit.

FINIS.

EXTRAICT DV PRIVILEGE.

DEFENSES & inhibitions sont faictes à tous Imprimeurs, Libraires, & à tous aultres, de n'imprimer, ne faire imprimer ces presents commentaires de Hieremie Thriuerus sur les quatres liures de Ratione uictus in morbis acutis d'Hippocrates, ne exposer, ou faire exposer en uēte, autres que ceulx icy, sans congé & permission des heritiers du feu Iaques Iunte, iusques au temps & terme de dix ans, à compter du iour qu'ilz seront paracheuez d'imprimer, sur peine de cent marcs d'argent, & confiscation des ditz liures, qui seront uendus & imprimez au contraire. Donné à Fontainebleau, le dernier iour de Iuing, l'an de grace mil cinq cēts cinquante & un, de nostre regne le cinquiesme.

Par le Roy à uostre relation.

Bohier.